




600026954W



CONSPECTUS
FUNGORUM
IN LUSATIAE SUPERIORIS
AGRO NISKIENSI
CRESCENTIUM.

E METHODO PERSOONIANA.

CUM TABULIS XII AENEIS PICTIS, SPECIES NOVAS XCIII SISTENTIBUS.

AUCTORIBUS
I. B. DE ALBERTINI
L. D. DE SCHWEINIZ.

LIPSIAE
SUMTIBUS KUMMERIANIS 1805.

LECTORI BENEVOLO S.

Pauca sunt, quae de libelli nostri instituto atque ratione, ne quis plura aliave, quam inventurus est, hîc locorum quaerat, praemonenda putamus.

Botanices enim deliciis jamdudum ita capti, ut temporis subsecivi haud exiguam partem illi tribueremus, ubi ad studium mycologicum tandem devenimus, vastissimum nobis campum et a plerisque hactenus neglectum patere facile animadvertimus. In quo pro virili nostrâ excolendo annis aliquot peractis, ope jam *Synopseos fungorum* a *Persoonio*, viro de re mycologicâ universâ praecellenter merito, editae ac a laetissimis exceptae, certiorem inposterum viam monstrantis, egregie sublevatos et ad iter alacrius movendum excitatos nos sensimus: magis etiam paullo post inde instigati, quod reliqua quoque *Persoonii* aliorumque praecipuorum mycologiae recentioris auctorum — *Schraderi*, *Todei*, *Hoffmanni*, *Hedwigii*, *Witheringi*, *Gärtneri* — scripta assi-

due evolvendo, terram nostram *fungos novos*, vel a viris certe clariss. modo laudatis nondum descriptos, haud paucos alere edocti fuimus. Quos postquam centuriam excedere, varietatumque simul novarum et observationum, quae ad species olim notas amplius illustrandas facere videbantur, copiam in dies augeri vidimus, inventa jam nostra in publicum proferendo laborem nec scientiae inutilem nec fautoribus ejus ingratum suscepturos nos rati, toto animo ad opus accingi coepimus: eâ simul spe fulti, fore, ut Flora germanica, mycologis pluribus exemplum nostrum secutis, uberiore paullatim fungorum indigenorum notitiâ ditaretur; quorum plurimos altis hactenus tenebris obrutos delitescere nemo prorsus rei peritus dubitaturus est.

Quŏd quo faciliore prosperioreque eventu successoribus nostris, Lusatis aeque ac reliquae Germaniae incolis, cederet, non tantum in singulorum fungorum enumeratione curatius temporum natalium locorumque vel naturalium vel individualium (in Hymenotheciis praesertim, domicilium fixius servantibus) indicium necessarium duximus — verum et nonnulla ad universam regionis nostrae topographiam mycologicam spectantia comme-

morandi commodum jam locum nactos nos esse laetamur. Solum videlicet nostrum septem triones orientemque versus glareoso-arenosum, pinetis vastis e *Pino* praesertim *sylvestri* consitum, *Ericâ*, *Vacciniis*, *Ledo palustri* etc. onustum, paludibus ingentibus profundisque hinc inde interruptum, ceteroquin sterilissimum, fungorum tamen omnis generis farraginem nutrit abundantem vix exhauriendam: vegetabilia enim haecce sylvis antiquis muscosis opacis umbrosis, humore tantum non perpetuo irrigatis (quales inprimis tractu illo amplo continentur, quem inter pagos *Moholz* et *Cosel* porrectum, *Moholzer Haide* dictum, toties celebrat libellus noster), truncisque vetustis putrescentibus mire delectari, quis ignorat? quod si qua tamen sunt nemorum laetiorum, arborum frondosarum, pratorum graminosorum avidiora, his ecce loca patent fertiliora occidentalia et meridionalia, saltuum, convallium, montium versus Alpes Sudeticas sensim adscendentium vicissitudine amoena, quae ipsa quoque symbolas suas, easque neutiquam contemnendas, in thesaurum nostrum contulere. Ad singulas porro arbores fungiferas quod attinet, praeter *Abietem*, *Populum tremulam*, *Quercum*, *Betu-*

lam etc. fungorum suorum copiâ jamdudum illustres — primo hîc loco nominanda venit *Pinus sylvestris*, saepissime nobis compendii caussâ *Pinus* κατ' ἐξοχὴν dicta, omnium frequentissima, ab antecessoribus nostris citra meritum examinata, specierum novarum apprime ferax: quâ non multo pauperius existit *Ledum palustre*, frutex alibi Germaniae rarissimus, nobis pervulgatus. Nec omittenda est *Pinus picea*, benigna item fungillorum aliquot elegantium novorumque nutrix. — Quae omnia rite consideranti, a paucis naturae investigatoribus, inter quos *Steinhaueri* quondam nostri *Voullarii*que nomina gratâ apponimus mente, intra breve lustri spatium negotiorumque varia impedimenta tantam fungorum vim collectam fuisse haud amplius adeo mirum videbitur: nos potius divitiarum, quibus gloriatur terra nostra, partem non spernendam etiamnum latere vel inde, quod specierum dubiarum vestigiis jamjam insistimus permultis, persuasissimum habemus.

Sed jam ad rationem methodi in conscribendo libello praeoptatae reddendam accedamus. In quâ ne quid repetitionis superfluae admitteretur, ita versati sumus, ut *Synopseos* vestigia presse secuti, ejusque continuo quasi

commentario assidui comites, a denominationibus classium, ordinum, generum, familiarum, specierum transscribendis prorsus abstineremus: libro enim unico hactenus conspectum fungorum methodicum amplectente virum mycophilum utique neminem destitui, certo nobis stabat judicio. Nam etsi nonnulla esse in Systemate Persooniano, quae manu egeant emendatrice — genera v. c. alia, in Hellvelloideis praesertim, fructificatione congrua nec nisi formae discrimine interstincta talo niti satis infirmo, alia (e. g. *Cyathum*, *Stilbum*, *Aegeritam*) locum minus commodum obtinere et s. p. — auctor ipse celeberrimus vix negaturus sit: nos tamen ad id vel acuminis doctrinaeque, vel otii ac instrumentorum, quod generibus ordinibusque integris tentandis sufficiat, neutiquam nos pertingere ingenue fatemur, atque in universum conamina ista eorum potius esse existimamus, qui in studiis hisce ex professo colendis vitam degunt, quam qui meri botanophili naturae scrutinio in animi laboribus aliis distracti defessique relaxamentum utuntur. Etenim minime illud nos fugit, quanto facilius aedes ab aliis instauratae vituperentur, quam novae praestantioresque perficiantur:

quas qui basi solidae, nec sabulo levi, superstruere in animum induxerit, is ingenii lusibus vanis nullis indulgebit, sed perpetuo potius microscopii diurnâ nocturnâque manu tractati usu, diligentissimo ac sexcenties repetito totius fungorum historiae praesertimque fructescentiae examine, sedulâ auctorum perlectione synonymorumque collatione, et prae ceteris omnibus *naturae ipsius vivae*, in sylvarum, saltuum, paludum penetralibus vigentis, *observatione* de die in diem iteratâ perque annorum series productâ — opus absolvere studebit. Quod qui curae habuerint, a monstrosis certe istis hypothesibus sibi cavebunt, quales nuperrimi mirabundi sane, oculisque nostris fidem diu denegantes, in lucem prolatas legimus: v. g. unius ejusdemque Zoophyti meras varietates ex aetatum mutatione morbove ortas sistere *Lycoperdon*, *Pezizam*, *Boletum*, *Hydnum* (*Voigts Magaz. f. d. Naturkunde*, *vol. VI. fasc.* 6. *pag.* 503 *sqq.*)! aut *Phalli impudici* progeniem esse *Tubulinam fragiformem*, quae exoleta demum in *Lichenem paschalem* abeat (*l. c. p.* 506)! aut glomerulum illum pulveris in *Trichodermate roseo* filis mixti, a cl. *Hoffmanno flor. german. cryptog. tab.* X, 1 ad modicum lentis augmentum seorsim pictum, pro Zoophyto item

habendum sex brachiis instructo (*l. c. fasc.* 1. *pag.* 51)! et similia plurima.

At in Systemate non tantum innovando, sed etiam generibus, familiis, speciebus locupletando summâ cautelâ opus esse experientiâ magistrâ edocti, genera nova nonnisi duo, locis suis ultra illustranda, *Pisolithum Ceratium*que, totidemque familias, *Xylomata* nempe *epixyla* et *Aecidia acicola*, admisimus. Nec in specierum numero augendo pede justo proniore lubentioreque processisse nos putamus: fungos potius bene multos *Agaricorum* praeprimis generis intricatissimi, specie forsitan propriâ non indignos, varietatum loco vicinis subnectere, quam manu paullo audaciore sejunctos introducere maluimus. Quod si qui nihilominus ab aliis pridem descripti inter novos nostrates irrepserint, haud adeo difficilem erroris veniam ruricolas nos, a thesauris μητροπολεων literariis, bibliothecarum scilicet majorum iconumque pretiosiorum — *Bulliardi*, *Sowerbei*, *Boltonii*, *Schäfféri*, *Michelii*, *Batschii* etc. — usu remotissimos, a judicibus aequis impetraturos speramus: unde nec synonymiae paene omnis defectum, quo laborat libellus noster, severiore sententiâ reprehensum iri arbitramur. — Sed fuere porro praeter species novas in civita-

tem receptas aliae quoque haud paucae etiamnum ambiguae, necdum affatim examinatae: quarum tamen potiores pone genera sua succincto sermone commemorare eum praesertim in finem instituimus, ut ulteriori earum investigationi iter aliquâtenus panderetur. Neque parciorem varietatum in eâ praeprimis vegetabilium classe, quam naturae lusibus longe licentissimis patere inter omnes constaret, curam gerendam duximus: e quibus novas nostras, quo facilius a priscis antecessorum operâ detectis distinguerentur, literis graecis duplicatis designare placuit. Totum denique librum annotatiunculis qualibuscunque e naturae vivae observatione oriundis atque ad uberiorem fungorum notitiam pertinentibus conspergere sategimus. Paucis horum in *Synopsi* non obviis inventorum nomina adjecta reperientur: longe plurimi a cl. *Persoonio* recepti locis suis absque ullo additamento dispositi sunt. Inter quos nonnulli occurrunt hactenus exotici, *anglici, gallici*, *itali:* plures *meklenburgenses* memoratu digni, *Epichysium argenteum*, *Chordostylum capillare*, *Sphaeriae* variae etc.: ac insigniores praesertim *carinthiaci*, Germaniae (ut videtur) australioris et orientalis sectatores, v. c. *Clavaria crispa*, *Hydnum suaveolens*, *Peziza Nigrella*,

Trichia Serpula. In quibus omnibus nomina trivialia, etiamsi minus idonea hinc inde viderentur, immutare summae habuimus religioni, neque id peccati nisi bis terve invitissimi commisimus; haud ignari, quantum inde detrimenti per accumulationem intricationemque synonymorum historia naturalis universa jamdudum ceperit atque in dies capere pergat.

Restat, ut de icunculis, quibus operis utilitatem promovere studuimus, quae necessaria videntur, addamus. In quibus adornandis id potissimum propositum fuit, ut specierum novarum, et apprime quidem earum, quae e merâ descriptione agnitu difficiliores essent, quam plurimas in angustum duodecim tabularum spatium, ne nimio veniret libellus, cogeremus. Quare et ab Agaricis aliisque fungis majoribus locum sibi ampliorem poscentibus (paucis exceptis) manum abstinere, et in singulis iconibus analysi curatiore perfectioreque praetermissâ ea praecipue, quae ad ipsissimam specierum diagnosin maxime facere viderentur, delineare consultum habuimus. Et exempla quidem, quantum fieri potuit, recentia atque in medio aetatis flore posita, in adumbrationis usum selegimus: in paucis tamen vel Herbarium mycologicum siccum, fungorum asservabilium

nostratium longe maximam partem complectens, vel iconum, quibus Succulentorum praesertim memoriam retinere inde a primordiis sategeramus, volumina in auxilium vocanda fuerunt. Si quis ceterum severior tabularum nostrarum contemplator nonnulla in iis, nec fortasse pauca, desideraverit — eum, ne prima sese artis excusoriae tirocinia, unico scientiae amore duce et auspice tentata, coram habere obliviscatur, rogatum velimus.

Sed jam, quae porro adjiciamus, nulla supersunt: nisi fuerit hoc unum, oleum operamque non penitus perdidisse tum demum nos existimaturos, quum oculos botanophili vel unius alteriusve in Mycologiam, provinciam absque ullo suo merito hucusque desertissimam, amplius colendam ornandamque intenderimus. Quod priusquam multo sollertius crebriusque, quam hactenus, factum fuerit, nihil est, quod majorum illorum problematum, ad fungorum physiologiam, phytotomen, universamque historiam ac naturam spectantium, solutiones certas naturaeque veritati consentaneas speremus. Dabamus Niskii, mense Maio 1804.

I. B. de ALBERTINI.
L. D. de SCHWEINIZ.

CATALOGUS FUNGORUM NOVORUM CXXVII NOSTRATIUM.

Sphaeria filiformis N. 6. Tab. III. f. 5.
Tubulina N. 21. Tab. IV. f. 4.
viridis N. 23. Tab. VI. f. 8.
lutea N. 29. Tab. I. f. 1.
rimosa α, β, N. 40. Tab. III. f. 1.
Pini α, β, N. 62. Tab. VIII. f. 1.
lineata N. 91. Tab. XI. f. 6.
flaccida N. 94. Tab. VII. f. 4.
rosella N. 106. Tab. VII. f. 3.
strigosa N. 111. Tab. V. f. 7.
rhodostoma N. 127. Tab. IV. f. 3.
exilis N. 131. Tab. IX. f. 4.
Dianthi N. 137. Tab. VI. f. 2.
atrovirens α, β, N. 141. Tab. II. f. 1.
Pteridis N. 142. Tab. X. f. 5.
hemisphaerica N. 146. Tab. VIII. f. 8.
versiformis N. 149. Tab. IX f. 3.
Hysterium sphaerioides N. 167. Tab. X. f. 8.
Xyloma Ledi N. 170. Tab. IX. f. 1.
Pini N. 171. Tab. V. f. 8.
nervale N. 178. Tab. VII. f. 7.
herbarum N. 179. Tab. IV. f. 6.
Tubercularia ciliata N. 190. Tab. V. f. 6.
Thelebolus terrestris N. 196. Tab. II. f. 4.
Sclerotium vaporarium N. 199. Tab. X. f. 1.
scutellatum N. 204. Tab. III. f. 6.

Tuber virens N. 214. Tab. VIII. f. 3.
Pisolithus arenarius N. 232. Tab. I. f. 3
Lycogala atrum α, β, N. 233. Tab. III. f. 3.
Fuligo muscorum N. 240. Tab. VII. f. 1.
Diderma squamulosum N. 246. Tab. IV. f. 5.
Physarum reticulatum N. 251. Tab. VII. f. 2.
sulphureum N. 259. Tab. VI. f. 1.
Clavus N. 267. Tab. II. f. 2.
Stemonitis Tubulina N. 286.
physaroides N. 288. Tab. II. f. 8.
Licea strobilina N. 303. Tab. VI. f. 3.
incarnata N. 304. Tab. X. f. 6.
Onygena corvina N. 316. Tab. IX. f. 2.
Aecidium Violae N. 326. Tab. X. f. 2.
abietinum N. 334. Tab. V. f. 5.
columnare N. 336. Tab. V. f. 4.
elatinum N. 337. Tab. V. f. 3.
Uredo Circaeae N. 348.
Ledi N. 351.
Sempervivi N. 356.
flosculosorum N. 362.
Ficariae N. 363.
Amanita porphyria N. 401. Tab. XI. f. 1.
Agaricus robustus N. 415.
bulbiger N. 423.
porphyropus N. 431.
lepidomyces N. 441. Tab. XII. f. 1.
luteo-virens N. 483.
subglobosus N. 484.
camarophyllus α, β, N. 513.
Vitellum N. 515. Tab. X. f. 4.
purpurascens N. 527.
maculatus N. 534.
adhaerens N. 535.
tricholoma N. 538.
scabellus N. 539. Tab. IX. f. 6.

EXPLICATIO ICONUM.

TABULA I.

Fig. 1. Sphaeria lutea: (a) exempla plura contigua; (b) unum solitarium; (c) auctum ac verticaliter sectum. (NB. Perperam neglectus sphaerularum situs arcte congestus, summarumque ostiola).

Fig. 2. Stilbum smaragdinum: (a) magnitudine nativâ; (b) auctâ.

Fig. 3. Pisolithus arenarius: exemplum mediocre basi abruptum (a) integrum; (b) verticaliter soctum, ut peridiola summa matura pulveracea, media etiamnum succulenta etc. visum subeant.

Fig. 4. Peziza rhizopus: (a) caespes situm et staturam naturalem servans; (b) aliquantum auctus, specimenque unum ad amussim sectum.

Fig. 5. Peziza membranacea α,: (a) staturâ nativâ; (b) mole auctâ.

Fig. 6. Peziza flammea: (a) magnitudine naturali; (b) sub lente a latere (c) desuper picta.

TABULA II.

Fig. 1. Sphaeria atrovirens α,: (a) situ staturâque naturali; (b) aucta denudata integra ac verticaliter secta; (c) item aucta, tecta. (NB. Cirrhi pars inferior in acervum pseudostiolarem jam consedit: icon enim haec ab exemplis vetustioribus desumta est).

Fig. 2. Physarum Clavus: (a) mole nativâ; (b) auctum integrum (c) ruptum.

Fig. 3. Peziza elatina: (a) magnitudine naturali; (b) aucta.

Fig. 4. Thelebolus terrestris: (a) caespes juxta naturam pictus; individua aucta fibrillis affixa (b) vasculo semiemerso coronata (c) effoeta membranâ lacinulata a latere (d) desuper inspecta.

Fig. 5. Peziza melaloma: (a) mole naturali; (b) aucta.

Fig. 6. Ceratium porioides β, flavum: (a) magnitudine nativâ; (b) (c) ad augmenta lentis diversa. (NB. Icon haec sequensque minus idoneae).

Fig. 7. Ceratium hydnoides: (a) (c) mole nativâ recens (b) semidestructum; ad varia augmenta (e) (f) vigens (d) in pulpam semimutatum.

Fig. 8. Stemonitis physaroides: (a) secundum naturam delineata; aucta, peridio (b) praesente (c) paene evanido.

TABULA III.

Fig. 1. Sphaeria rimosa α,: (a) mole nativâ; aucta, (b) verticaliter, ut stroma appareat, et (c) horizontaliter secta.

Fig. 2. Leotia truncorum: (a) staturâ nativâ; (b) modice aucta-verticaliterque secta.

Fig. 3. Lycogala atrum: (a) integri caespes; (b) capillitium denudatum; (c) ejus ramulus seorsim pictus. (Var. α,).

Fig. 4. Peziza Urceolus: (a) mole naturali; aucta (b) integra (c) e vertice dissecta.

Fig. 5. Sphaeria filiformis: staturâ naturali (a) sterilis (b) fertilis; (c) modice aucta integra; (d) clava valde aucta horizontaliter secta, ut stroma sphaerularumque cavitates conspiciantur.

Fig. 6. Sclerotium scutellatum: (a) magnitudine

naturali; auctum (b) desuper (c) a latere cum stipite brevissimo (d) ad segmentum verticale delineatum.

Fig. 7. Peziza sericea: (a) mole nativâ; (b) affatim aucta.

TABULA IV.

Fig. 1. Helotium gibbum: ad augmentum (a) modicum (b) ingens. (NB. Pubem delicatam prorsus omittere, quam adumbratione justo rudiore magis etiam a naturâ aberrare maluimus).

Fig. 2. Peziza carbonaria.

Fig. 3. Sphaeria rhodostoma: (a) aliquantum aucta; (b) magnitudine naturali; (c) magis ampliata; (d) verticaliter secta.

Fig. 4. Sphaeria Tubulina: staturâ naturali (a) integra (b) perpendiculariter rupta, ut sphaerularum situs appareat; (c) harum fasciculus seorsim pictus, subauctus.

Fig. 5. Diderma squamulosum: (a) mole nativâ; auctum (b) a latere, integrum (c) (d) desuper, plus minus laesum, columellam monstrans.

Fig. 6. Xyloma herbarum: (a) magnitudine naturali; (b) auctum; (c) a latere visum.

Fig. 7. Periconia flavovirens: (a) staturâ nativâ; (b) ad augmentum ingens.

TABULA V.

Fig. 1. Peziza Digitalis: (a) situ ac staturâ naturali; (b) mole tantillum auctâ.

Fig. 2. Peziza fusco-cana.

Fig. 3. Aecidium elatinum: (a) magnitudine nativâ; (b) auctum.

Fig. 4. Aecidium columnare: (a) mole naturali; (b) auctum adolescens (c) primordiale (d) adultum apice ruptum.

Fig. 5. Aecidium abietinum: (a) magnitudine naturali; exempla aucta (c) primitiva (b) nuperrime aperta (d) vetustiora.

Fig. 6. Tubercularia ciliata: (a) magnitudine naturali; aucta (b) capitulo subgloboso (c) ovali (d) amisso.

Fig. 7. Sphaeria strigosa: (a) juxta naturam picta; aucta (d) junior barbâ incolumi (b) adulta setis semifractis (c) verticaliter secta, inanis.

Fig. 8. Xyloma Pini: (a) aliquantum auctum, apertum; (b) (c) magnitudine nativâ, per varias aetates.

TABULA VI.

Fig. 1. Physarum sulphureum: (a) mole naturali; auctum (c) integrum (b) laesum, ut pulvis filaque appareant.

Fig. 2. Sphaeria Dianthi: (a) magnitudine naturali; (b) modice aucta; (c) magis ampliata, centro depresso albido; (d) ad segmentum verticale.

Fig. 3. Licea strobilina: (a) staturâ nativâ; aucta, peridiis (b) evacuatis (c) subcircumscissis (d) inaequaliter ruptis; peridium seorsim pictum (e) integrum (f) circumscissum (g) verticaliter dissectum.

Fig. 4. Sistotrema viride: (a) secundum naturam pictum; (b) subulae aliquot affatim auctae.

Fig. 5. Peziza porioides: (a) magnitudine nativâ; aucta (b) integra (c) individuis aliquot exemtis, a latere pictis.

Fig. 6. Ascobolus lignatilis: (a) mole naturali; (b) ad augmentum modicum.

Fig. 7. Sistotrema pendulum: (a) situ nativo; resupinatum, ut subulae visum subeant, aliquantulumque auctum (b) dissectum (c) integrum.

Fig. 8. Sphaeria viridis: (a) magnitudine naturali; aucta (b) desuper visa (c) ad segmentum verticale, quo sphaerulae immersae appareant.

TABULA VII.

Fig. 1. Fuligo muscorum: juxta naturam picta (a) muscicola (b) epiphylla; (c) aliquantum aucta.

Fig. 2. Physarum reticulatum: mole nativâ (a) ramosum (b) simplex; ampliatum (c) jamjam dehiscens (d) magis apertum.

Fig. 3. Sphaeria rosella: (a) magnitudine naturali; (c) aucta integra; (b) aliquot sphaerulae exemtae perscissae.

Fig. 4. Sphaeria flaccida: exempla variarum aetatum (a) staturâ nativâ (b) modice aucta; (c) tria seorsim posita verticaliter secta, ad augmentum amplius.

Fig. 5. Peziza leucotricha.

Fig. 6. Peziza laciniata: (a) magnitudine naturali; (b) ad augmentum sufficiens.

Fig. 7. Xyloma nervale: (a) mole situque naturali; auctum (b) integrum (c) verticaliter scissum (d) a parte pronâ planâ propositum.

TABULA VIII.

Fig. 1. Sphaeria Pini α,: (a) mole nativâ; aucta (b) a latere (c) (d) desuper conspecta — (e) horizontaliter (f) verticaliter ad amussim scissa.

Fig. 2. Peziza pulveracea: (a) magnitudine naturali; (b) ampliata.

Fig. 3. Tuber virens: ad naturam delineatum (a) integrum (c) sectum; (b) frustum aliud sectum, auctum.

Fig. 4. Peziza albo-violascens: (a) staturâ naturali; aucta (b) regularis (c) monstrosa, disco pezizuligero.

Fig. 5. Helotium radicatum: (c) junius volvatum; (b) involucro fatiscente; (a) capitulo denudato.

Fig. 6. Peziza Verrucaria: (a) staturâ nativâ; ampliata (c) involucro fatiscente (b) aperta.

Fig. 7. Peziza sanguinolenta: (a) magnitudine natu-

rali; (b) caespitulus auctus; (c) cupulae magis etiam auctae.

Fig. 8. Sphaeria hemisphaerica: (a) juxta naturam proposita; (b) specimina ampliata, diversarum aetatum.

TABULA IX.

Fig. 1. Xyloma Ledi: (a) magnitudine nativâ; auctum (c) clausum (d) hians.

Fig. 2. Onygena corvina: mole naturali (a) junior (b) adulta; aucta (f) junior (e) transcissa (d) peridio rupto (c) toto evanido.

Fig. 3. Sphaeria versiformis: (a) magnitudine naturali; aucta (d) junior vigens globifera integra (c) e vertice secta — (e) (f) variae formae post fructificationem; (b) item, ad amplius augmentum.

Fig. 4. Sphaeria exilis: (a) moleculâ nativâ; aucta (c) junior (b) (e) disco collapsa (d) desuper inspecta.

Fig. 5. Agaricus tricolor α,: (a) staturâ naturali; (b) stipitis pars ampliata.

Fig. 6. Agaricus scabellus: (a) situ nativo; (b) pileo reflexo, quo lamellae conspiciantur. (NB. Scabritiem omittere, quam nimiam exprimere praestitit).

Fig. 7. Tremella saligna: (a) magnitudine naturali, ex epidermide lignoque nudo erumpens; ampliata (b) integra (c) verticaliter secta.

Fig. 8. Peziza brunnea: (a) grex carboni insidens, staturâ naturali; individuum auctum (b) desuper (c) a latere propositum.

TABULA X.

Fig. 1. Sclerotium vaporarium corrugatum.

Fig. 2. Aecidium Violae: (a) mole naturali; (b) folii pars retroflexa, ut cavitas appareat bullae respondens; (c) caespituli pars aucta.

Fig. 3. **Hysterium sphaerioides:** (a) magnitudine nativâ; auctum, ore (c) rotundo (d) elliptico (b) lineari rimoso.

Fig. 4. **Agaricus Vitellum.**

Fig. 5. **Sphaeria Pteridis:** (a) ad naturam delineata; aucta (d) junior (b) adulta (c) collapsa; (e) magis ampliata, dissecta.

Fig. 6. **Licea incarnata:** (a) mole naturali; (b) aucta, integra ruptaque. (NB. Peridium perperam circumscissum indicatum: prorsus enim inaequaliter hiat.)

Fig 7. **Peziza Ledi:** (a) magnitudine nativâ; (b) ampliata.

Fig. 8. **Hydnum calvum:** (a) (b) ut in Fig. 7.

Fig. 9. **Hydnum fasciculare:** (a) (b) ut in praecc.

Fig. 10. **Peziza virens:** (a) (b) ut in praecedentibus.

TABULA XI.

Fig. 1. **Amanita porphyria.**

Fig. 2. **Daedalea rubescens:** specimina e minoribus.

Fig. 3. **Peziza Conoplea:** (a) magnitudine naturali; (b) aucta pulvere obtecta (c) denudata.

Fig. 4. **Peziza rufo-olivacea:** (a) juxta naturam picta; (b) ampliata.

Fig. 5. **Peziza Clavus:** var. α,.

Fig. 6. **Sphaeria lineata:** (a) staturâ naturali; (b) aucta; (c) magis etiam ampliata ac verticaliter perscissa.

Fig. 7. **Peziza flavo-fuliginea:** (a) mole nativâ; aucta (b) desuper (c) a latere conspecta.

Fig. 8. **Peziza Lonicerae:** (a) staturâ naturali; ampliata, ore (c) connivente (b) patulo.

TABULA XII.

Fig. 1. **Agaricus lepidomyces.**

Fig. 2. **Peziza fascicularis** α,.

Fig. 3. Peziza Betuli; (a) situ naturali; (b) seorsim picta, aliquantulum aucta.

Fig. 4. Peziza theleboloides: (a) magnitudine nativâ; aucta (d) junior (c) adolescens (b) perfecta aperta.

Fig. 5. Peziza betulina: (a) moleculâ naturali; ampliata (c) in mediâ aetate posita (d) provectior.

Fig. 6. Stilbum hyalinum: (a) magnitudine naturali; (b) affatim auctum.

Fig. 7. Peziza Pteridis: (a) staturâ nativâ; ampliata (b) desuper (c) a latere visa.

Fig. 8. Isaria monilioides: (a) situ et magnitudine naturali; aucta (b) farinâ tota obruta (c) stipite nudo.

Fig. 9. Ceratium pyxidatum: (a) mole nativâ; (b) ad augmenta duo diversa.

I



2.





1.






3.










4.





c



6.



5.


v S. f.


II





L. v. S. f.

III









4.
b









5.









7.

v.S.A



IV.



S. fec.


V
1.
a
b
2.
a
3
b
4.
a
b
c
d
5.
a
b
c
d
6.
a
b
c
d
7.
a
b
c
d
8
b
c
L.v.S. fc.

II




L. a S. f.



v.S.



IV.



S. fec.

V



VI



Lv S



VII.





L v S fe.





IX.




v. S fc.

X.
































L v S. fc


XI
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
a
b
c

XII.



L.v.S. del. sc.



CLASSIS I.

ANGIOCARPI.

ORDO I.

SCLEROCARPI.

---

1. SPHAERIA.

A. XYLARIAE.

a) *Carnosae.*

1. S. militaris.

α, simplex

β, polycephala

α, sub cortice putrido nidulari amat: *β*, rariorem invenimus, terrestrem; utramque constanter in chrysalide mortuâ parasiticam. Sept. Oct.

2. S. alutacea.

Specimen nostrum, quod unicum reperimus, ab icone *Persoonianâ* clavulâ praesertim a stipite magis distinctâ coloribusque multo dilutioribus aliquantum recedebat; ita ut varietati *β*, *albicanti* propius quam *α*, *alutaceae* visum fuerit. Totus fungus mollis, carnosus, levis, biuncialis: num cavus? haud dixerimus; a vermibus enim intus erosus erat. *Stipes* subsquamulosus, teres, albus, tenuior, 2½ lineas fere crassus: *clavula* laevis imo gla-

briuscula, sphaerulis punctata, ex ovato cylindrica, dilute alutaceo-pallens, subsemuncialis, 3/4 lineas crassa. *Ramulo* putri *alneo* increscens egregie vigebat, sphaerulis gelatinâ suâ turgentibus, in umbrosis muscosis (*Moholzer Haide*). Aug.

3. S. ophioglossoides.

Color fungi adolescentis vegetique plerumque ex aurantio sordide ruber, in stipite laetior, flavus; senio ingruente olivascit, dein nigrescit. *Radiculae* saepe insignes. In abiegnis muscosis hinc inde, non infrequens. Sept. Oct.

b) *Suberosae.*

4. S. Hypoxylon.

α, compressa

β, cupressiformis

Admodum ludit magnitudine et formâ praesertim *α*, quae nonnumquam ingens invenitur, varie torta ac fissa. Vulgaris; per totum autumnum matura.

5. S. carpophila.

In pericarpiis nucum Fagi dejectis semiputribus udis iuxta fontes rivulosque (*Eulenbach*), saepe in ipsissimâ aquâ: e primordiis sero autumno obviis mediam insequente vere attingit aetatem; matura occurrit Jul. Aug.

Tab. III. f. 6. 6. S. filiformis NOBIS.

S. caulescens simplex ramosaque tenuissima filiformis subflexuosa glabra nigricans; clavulâ sphaerulis prominulis subovatis colliculosâ brevi, apice attenuato sterili carneorubello.

Fungus adultus ½/1 lineam crassus, longitudine ab 1 ad 3 uncias variat. In statu juvenili totus pallet, jam tum laevis, nec tomentosus aut villosus: dein (apice excepto eleganter rubello) nigrescit, glaberrimusque eva-

dit, nisi quod basis ipsa nonnumquam pilis parcis hirta sit. Aetate mediâ, sphaerulis intra substantiam adhuc latitantibus, *Rhizomorphae* speciem mentitur, inde a basi tum sensim attenuatus: at paulo post *sphaerulae* erumpentes ac valde prominulae *clavulam* in medio fere fungo constitutam a *stipite* duplo triplove longiore, striato, plerumque compresso, affatim distinguunt. *Apex* saepe varie incurvus; ceterum subpulverulentus, compressus, in specimine unico dilatatus ac semidigitatus. *Spaerulae* parvae, ex ovato subspinulosae, congestae: alias inanes sacculo suo vestitas, alias gelatinâ farctas deprehendimus. *Substantia* fibrosa, suberosa, alba. In *foliis* dejectis siccis variis, praeprimis tamen *Syringae vulgaris*, loco unico nemoroso (*Heinrichsruh*) frequens. Exempla omnium aetatum legimus aestate pluviâ, Jul. Aug.

7. S. polymorpha.

α, pistillaris

β, spathulata

Cf. *Obss. mycol.* II. p. 64. 65. In *β*, spathula nonnumquam emarginata, bi-vel tricuspis. — Rarior nobis, nec nisi loco unico (*Moholzer Haide*) in truncis populinis alneisque humi jacentibus putrefactis hactenus obvia. Per totum annum: fructificans Oct. Nov.

B. PERIPHERICAE.

8. S. concentrica.

α, sessilis

β, pedicellata

Variat colore nigro, fusco, rubiginoso. Amat truncos betulinos et alneos, quos incolit passim; autumno, hieme.

9. S. rubiformis.

α, circumscripta

β, effusa

Stroma e cinereo nigrum: *sphaerularum* color saturatior. In truncis ramisque variis siccis frequens, apud nos plerumque gregaria. Perennis; vigens autumno.

10. S. fragiformis.

Ad cortices Betulae, Fagi etc. hinc inde frequens. Autumno.

11. S. argillacea.

Color modo cinereus, modo argillaceus; sed sordide rubiginosum, quem icon *Persooniana* (*Icones pictae* Tab. III. f. 1. 2. 3.) in nostro certe exemplari ostendit, numquam in hac specie observavimus: de quo cum in descriptionibus autoris mentio nuspiam fiat, mero forsan pictoris errori tribuendus erit. — Adeo ceterum, colore excepto, similis est haec Sphaeria *S. rubiformi*, in cuius etiam consortio haud raro crescit, ut, annon potius ad aetatem illius juniorem pertineat, nondum satis nobis constet. Truncos apprime *betulinos* nostros passim incolit. Autumno, hieme.

12. S. rubiginosa.

Sphaerulae centrales latent, laterales distinctius prominent. Nutrit haec species effoeta byssos varias: praeter *Dematium virescens* alium praesertim ejusdem generis fungillum novum, sed hactenus dubium, in ea parasitantem aliquoties offendimus, infra loco suo amplius recensendum. In lignis siccis duris quercinis, fagineis, aliisque vulgaris, perennis.

13. S. cohaerens.

Sphaerulae *papillatae*, demum plus minus bullatae, nonnullae ad volumen triplex fere inflatae. In ligno alneo, rarior (*hohe Linde*). Maio.

14. S. fusca.

α, *circumscripta*, subrotunda
β, *effuso - applanata*

Forma admodum varia. Color mox laetior, e purpureo fuscus; mox opacior. Ad ramos arborum frondosarum siccos ubique fere, hujus sectionis facile vulgatissima. Perennis.

15. S. pallida.

α, lutea

Color flavidus. Cum sequente affini in eo quoque convenit, quod utraque, loco natali laxe tantum adhaerens, ab eo facile solvatur, nec raro libera ac mobilis reperiatur. In lignis *pineis* dejectis humidis putribus passim, Sept. Oct. Nov.

16. S. rufa.

Tomento albicante circa basin plerumque obducta, more praecedentis: a qua praecipue distat colore, formâ minus regulari, staturâ paullo majore, ac loco natali. Arbores enim frondosas constanter sibi eligit, in quarum ramis dejectis, prae ceteris tamen *Rubi fruticosi* avida, minime rara occurrit: inde a seriore autumno hiemem mitem in ver usque perdurans.

17. S. ribesia.

Sphaerulas nobis quoque vel cavas vel gelatinâ fluxili repletas observare numquam contigit: constanter potius massâ quadam *solidâ subcarnosâ* farctae nobis apparuere. Quod cum in pluribus huius generis speciebus, iisque aut prorsus astomis, aut ostiolo nonnisi obsoleto praeditis, obtineat: propria inde familia inter *Sphaerias Sclerotia*que media, illis formâ, situ, habitu — at his fructificatione propior (ac itaque hûc forsitan, *Sclerotio sphaerioide* viam pandente, translocanda) constitui posse videtur. — Loco suo vulgaris. Nov. Dec.

18. S. Sambuci.

Minuta, lineam 1 lata. *Stroma* ex albo cinerascens, ceraceum, molle: *sphaerulae* pusillae. In ramulis emor-

tuis *Sambuci nigrae*, rarior (in coemeterio *Rengersdorfensi*). Aprili.

C. COMPOSITAE.

19. S. Poronia.

Rarissima nobis, nec nisi semel ante complures annos fimicola inventa, inque rei fidem illico depicta. (*Heinrichsruh.*) Oct. (Nuperrime iterum: Aprili 1804.)

20. S. deusta.

α, sessilis

β, platyceps

Primordialis *Thelephoram rugosam* vel huic vicinam primo adspectu, pulvere excepto, sese simulat. *α*, ad truncos arborum frondosarum frequens; *β*, multo rarior, attamen hinc inde obvia (v. c. *Basalthügel*). Per totum annum reperitur: fertilis autumno.

Tab. IV. f. 4. 21. S. Tubulina NOBIS.

S. (composita) magna oblongo-ovata semi-immersa sublacunosa e ferrugineo nigra, stromate terreo, sphaerulis ingentibus congestis ovato-cylindricis subprismaticis in collum teres productis.

Primo obtutu diffractuque *Tubulinam fallacem* mentiente nomen suum triviale sibi meruit species notabilis: 2/4 uncias, imo ultra, longa; 1½/2 unc. lata; semunciam ferme crassa: in lignum putredine emollitum nonnunquam tota immersa, saepius tamen semi-prominens. *Margo* subrepandus. *Superficies* vallibus jugisque variis plus minus distincta, passim tamen etiam plana: bysso quâdam tenuissimâ velutinâ opace ac pulcherrime viridi hinc inde brunnescente (heterogeneâ, ut videtur) obductam in aliquot exemplis vidimus: ceterum in fungo virgine laevis, per lentem poros (summa in sphaerularum collis stromati immersis orificia) osten-

pens, ferrugineo-terrea, dein nigrescens: at ingruente gelatinae eruptione, cortex super quovis poro in *ostiolum* hemisphaericum, globulo cirrhulove spermatico nigro demum deciduo paullo post coronatum, plerumque elevatur, unde fungo effoeto tota facies colliculis istis aggregatis apice pertusis horret: est tamen etiam, quando mucilago seminifera solito fluxilior, ostiola efformare recusans, illico male inquinans circumquaque diffluit. *Stroma* coloris exacte terrei (pulveris *Tubulinae*) satis compactum, inter ventres sphaerularum dense congestos in lamellam separatoriam tenuem semipellucidam compressum, in pulverem tandem e sordide ferrugineo subvirescentem dilabitur. *Sphaerulae* omnium, quotquot hucusque vidimus, facile maximae, $3/5$ lineas longae, $1/1\frac{1}{2}$ latae, arcte aggregatae: interdum, in summo praesertim turgore, lageniformes (collo imposito ovatae) — ut plurimum tamen e basi rotundatâ paullo latiore cylindraceae, sed ob densam congeriem in unum alterumve angulum compressae, hinc subprismaticae; sursum in *collum* teres saepe incurviusculum, *ventrem* longitudine subaequans, angustatae: munere suo defunctae atque collapsae, Hydni subulas haud inepte aemulantur. *Gelatina* sueti coloris *thecas* gestat augustas, fusiformilineares, minus magisve flexuosas, quibus inclusae cernuntur *sporulae* subrotundae. In trunco putredine paene consumto *abietino* (semel etiam *alneo?*) in sylvis opacis passim invenimus fungum vernalem; adolescentem Martio, feracem Aprili, exoletum (rigidum, fragilem, poris majusculis irregularibus perforatum) Maio.

22. S. citrina.

Exempla iuniora tomento niveo tota obtecta: adultiora (margine excepto) laevia applanata subrivulosa eleganter citrina: senilia in ochreum vergunt. *Substantia* carnosa

succulenta. Junio mense sphaerulas alias mucilagine refertas, alias in ipso fructificationis actu farinam ex ostiolis suis protrudentes, alias jam evacuatas deprehendimus. Semel inventa species pulchra *terrestris*, foliis siccis aliisque quisquiliis superfusa: semel *epixyla* in Pino: sed saepenumero *parasitica* in hymeniis Boletorum ingentium vetustorum (v. c. *B. fomentarii*, *igniarii* etc.), ad spithamam et ultra effusa, *Sphaeriâ lagenariâ* per eam passim transcrescente. Aestate, autumno.

Tab. VI. f. 8. 23. S. viridis NOBIS.

S. parasitica tenuis effusa tomentosa viridis, ostiolis dense congestis fuscescentibus colliculosa.

Agarici majores nonnulli (et praeprimis quidem, ut videtur, *Lactifluus piperatus Omphalia*que *adusta*) exesi ac indurascentes tomento viridi (coloris ipsissimi illius sordide luteo-virentis, quem in caseo Helvetorum, *Schabzieger* dicto, novimus) longe lateque subtus praesertim occupantur: cujus *margo* sterilis est sphaerulisve solitariis aut earum acervulis adspersus — at *centrum* sphaerularum monostticharum, imo passim subdistichariun, eximie ferax. *Sphaerulae* arcte gregariae, hinc inde coacervatae, globosae vel subovatae, mollissimae, pallidae, partim inanes nobis conspectae, partim muco spermatophoro scatentes: quem *ostiola* prominula obtusa sordide fuscescentia guttulae gelatinosae (sed post aliquot dies exsiccatae inque farinam albidam fatiscentis) in formam sparsim promebant. At praeter sphaerulas hasce *superficiales* aliae quoque haud paucae in ipsâ Agarici dissecti carne alte sepultae, eâque undique cinctae, sparsae cernuntur — modo mucilagine pallidâ plenae, dein forsan promergentes, modo inanes sacculo noto vestitae (quae igitur in latibulo suo fructificationem peregisse videntur, etiamsi, quâ ratione id fiat, praesertim

in manifeste *astomis* difficillimum sit explicatu). *Crusta* tenuissima nigra, vix *stroma* dicenda, tomento illo viridi vel tecta, vel ex eo ipso subtus nigrescente conflata: ad sectionem sequentem pertineret species memoratu digna, ni affinitas quaedam naturalis cum *S. citrinâ* eiusque cognatis inde eam arcere videretur. In muscosis umbrosis abiegnis. Sterilem aliquoties observavimus Augusto: fertilem exeunte Septembri.

24. S. insitiva.

Inter hortorum rejectamenta in sarmentis *Vitis* jamdudum emortuis per totum annum neutiquam rara: sed senilis, *velo* oblitterato, *stromate* simul fuscescente, nec integra nec perscissa in oculos valde incurrit. Laete vigentem habuimus Junio.

25. S. serpens.

α, effusa

β, lumbricoides.

γγ, ebulliens

α, in truncis lignisve siccis arborum frondosarum haud infrequens, fibris ligneis quandoque intertexta: *β*, cavernularum intra *Salices* cavas amans, ad spithamam, imo pedem, nonnumquam elongata: *γγ*, rarior, effusa, sphaerulis nonnullis in bullas inflatis insignis, itidem in ligno duro exsiccato obvia. — Vere, autumno.

26. S. undulata.

Cum praecedente, rarior: an *specie* distinguenda? Mart. Apr.

27. S. Stigma.

α, vulgaris

Color primordialis extus intusque albidus, pallens: superficies dein cinerascit, vel interdum etiam in ferrugineum vergit — unde per fuscum colorem transit in nigrum. Est e vulgatissimis, ramos arborum frondosarum

mortuos totos obducens, *Betulae* tamen apud nos praeprimis cupida, plerumque subcorticalis. Perennis.

28. S. flavovirens.

α, subrotundata

β, effusa

α, per epidermidem erumpens, pulvinata, saepe asperrima, in *Pruni spinosae*, *Rosae caninae* etc. ramis passim: *β*, in lignis nudis duris abunde. Huius varietatem bis terve habuimus stromate subcompacto opacius virente distinctam. Vere.

Tab. I. f. 1. 29. S. lutea NOBIS. –

S. (composita) polysticha crassa nigra, disco subconcavo marginato rugoso, stromate pulverulento luteo.

Intra ligni semiputris, serrâ truncati, cavernulas fissurasque ita nidulatur haecce Sphaeria, ut ejus (luteo circumcirca colore satis alte imbuti) jugis apicibusque inaequalibus, tanquam maceriebus, haud raro supra discum prominentibus, saepiuscule transfixa sit. *Placentas* exhibet sparsas vel contiguas, subrotundas vel oblongas (quarum maiores sunt diametri semuncialis fere, 4 lineas crassae), mox teretes, mox e basi rotundatâ angustiore sursum aliquantum incrassatas: *lateribus* hinc inde subgibboso - lacunosis laeviusculis: *disco* truncato concaviusculo, *ostiolis* subprominulis passim perforatis rugoso, *margine* prominulo cincto. *Stroma* laete ac vivide luteum, demum praesertim in placentae basi canescens, supra infraque pulverulentum, at inter sphaerulas pro unaquâque condendâ cellulas papyraceas tenuissimas pellucentes flavidas efformans. *Sphaerulae* tetra- s. hexastichae, dense coacervatae, minores majoribus intermixtae, ovatae subglobosaeque: plerasque, etiam imas, vidimus inanes, tapetio suo indutas: cf. hûc quae scripsimus ad N. 23. In disco trunci unici *alnei* putri-

di (*Jänkendorfer Anlagen*), sed satis frequens Apr. Maio.

30. S. podoides.

α, *tentaculata*

β, *inermis*

Valde inaequalis, saepe quasi interrupta. In lignis duris variis passim frequens. Vere.

31. S. quercina.

α, *quercina*

ββ, *betulina*

α, subrotunda tetragonostoma, in ramis praesertim quercinis passim: *ββ*, major oblonga utrinque acuta, ostiolis valde rugosis minus distincte quadrangulis, e cortice betulino transversim erumpens, ubique abunde obvia. Utraque vernalis, jam hieme leni nonnunquam vigens.

32. S. disciformis.

α, *monosticha*

ββ, *disticha*

Cortex in *α*, (passim in *Fago* copiose obviâ) nonnunquam ex argillaceo griseus est, *stromate* simul molliusculo; fungus tum forsan nimio madore, quamvis sphaerulis gelatinâ suâ scatentibus, semicorruptus habendus. Var. *ββ*, in ramo *quercino* semel (*Eulenwald*) Maio lecta, crassior, sphaerulas distichas imo subtristichas gerens, ceterum ad *α*, omni modo accedens. Vere, autumno.

33. S. sordida.

α, *fraxinea*

Praeter ramos fraxineos in *alneis* quoque habitat, sed parcior, aliquoties inventa vere, autumno.

34. S. lignea.

Colore variat pallente, rufescente, nigricante. *Substan-*

tia ceracea fere. *Diameter* 1/1½ lin. In exemplis majoribus et perfectioribus *ostiola* interdum satis prominula formam aperte tetragonam ostendunt: unde non possumus, quin cl. *Persoonii* suspicioni assentiamur. In ramis quernis hinc inde. Nov. Mart.

35. S. verruciformis.

α, pulvinata

γγ, concava

α, in nostris regionibus *Carpinum* praecipue incolit. Var. *γγ*, notabilis, magna, 3/5 lineas diametro aequans, obtuse 4/6gona, laciniis epidermidis totidem triangulis subaequalibus stellatim fissis ac retroflexis quasi coronâ cincta; *disco* concavo laevi, demum ruguloso ac foraminuloso; *ostiolis* latitantibus. *Sphaerulae* paullo confertiores quam in *α*,. In ramis *betulinis* putridis exsiccatis, rarior; plerumque *Rhizomorphae subcorticali* innata. Vere, autumno.

36. S. bullata.

In ramis salignis aliisque, non infrequens. Vere. (*Icon. pict.* tab. III. fig. 6. 7.)

D. MONOSTICHAE.

37. S. lata.

Gigantea occurrit, pedalis et ultra. Variat sphaerularum situ densiore laxioreque, ac crustae habitu. Specimina habuimus sphaerulis centralibus arcte congestis, subbifariis: alia crustâ in medio etiam expansionis suae hinc inde adeo tenui, ut lignum transspici potuerit. In ligno duro vario satis frequens. Autumno; praesertim tamen vere.

38. S. mucosa.

Praeter sphaerularum corticem duriusculum reliqua omnia mollissima sunt. Longe lateque effusam invenimus in

Cucurbitae fructibus aliquot putridis (*Monplaisir*) Oct. Nov.

39. S. typhina.

Typhae amentum exacte sistit. *Sphaerulae* gelatinâ virente turgidae. Hactenus eam in culmis *Anthoxanthi odorati* (*Buchenwäldchen*) et *Holci mollis* legimus Jun. Jul.

40. S. rimosa NOBIS. Tab. III. f. 1.

S. (*monosticha subperipherica*) *lineari-oblonga, per rimas parallelas erumpens, stromate nigro pulverulento, sphaerulis latentibus congestis parallele seriatisoid albfarctis.*

α, nebulosa

β, atra

Hanc nostram speciem in familiam suam a naturâ ipsâ institutam introducere, quam ad Sectionem tertiam secundamve, stromate manifesto ac constante seductore, relegare maluimus. Habitat *α*, ad culmos *Arundinis Phragmitidis* hinc inde, plerumque gregaria: per quorum (vetustorum nimirum ac emortuorum) epidermidem, bullatim protrusam secusque rimas aliquot parallelas subflexuosas ruptam, nicore cinereo nebuloso translucet. Lineari-oblonga, utrinque utplurimum acutiuscula, latitudine ludit inter 1 — 6 lineas, longitudine inter ¾ — 2 uncias: 1/1½ lin. crassa. Specimina perfectiora ad Sectionem II. omnino accedunt, *stromate* (nigerrimo, demum praesertim grosse pulveraceo) *sphaerulis* periphericis evidenter *substrato*. Hae sunt minutae, adeo arcte congestae, ut compressae inde evadant; ceterum in seriebus parallelis remotiusculis stromate interstinctis regularissime collocatae. Farctae sunt massâ carnosâ *persistente*, in fungo vegeto *albidâ*, in exoleto *nigrâ:* ecce novam similitudinem, quae Sphaeriarum familiam ad

N. 17 dictam (quorsum hanc accensendam esse patet) Sclerotiaque intercedit! *Ostiola* nulla. β, differt superficie aterrimâ glabrâ (in junioribus praeprimis glaberrimâ lucidâ); formâ obtusiore subellipticâ; rimis rectilineis; sphaerulis contiguis quidem, at non coarctatis, indeque formam subrotundam servantibus, distantius etiam seriatis; staturâ, inprimis crassitie, aliquanto minore; loco denique natali. In *Pteridis* enim *Aquilinae* stipitibus mortuis, et vulgatissima quidem, sed saepe imperfecta ac sterilis, crescit — maculas suas nigerrimas crebras eminus ostentans: minor juniorque, dum rimâ longitudinali mediâ unicâ instructa est, spem Hysterii fallacem movens — tenuissima tum temporis, nec prominens. Vetusta grisescit. Utraque var. vernalis: vigens Martio et Aprili, exoleta Maio.

41. S. graminis.

Superficies per sphaerularum formam situmque satis regulariter rugosa. In foliis gramineis variis minime rara: in quibus semiviridibus laete fructificantem, mucilagine scatentibus sphaerulis, legimus Oct. Nov. Evacuatam reperimus vere.

42. S. Trifolii.

Atro-nitens: in *Trifolio repente* passim frequens. Sphaerulas alias farctas, alias inanes conspeximus Sept.

42. S. Anethi.

α, *Anethi*

ββ, *culmigena*

α, loco suo non infrequens, sero autumno. ββ, brevissima linearis, sphaerulis contiguis erumpentibus, ostiolis prominulis acute (subconice) papillatis. Statura habitusque *S. striaeformis:* sed sphaerulae prominentes et eustomae hûc eam, ni propriam speciem malis, aman-

dant. In culmo gramineo semel hucusque reperta (*Diehsa*), Junio.

44. S. longissima.

Lineae parallelae internodia occupantes saepe copiosae, totum nonnumquam caulem cingentes. In stipitibus *Anethi graveolentis* siccis; autumno serotino et vere.

45. S. nebulosa.

Affatim distat a praecedente. *Crusta* nigra subcuticularis sphaerulas connectens, in oblique transcissâ per lentem distincte visibilis, nebulam griseam per epidermidem transmicando efficit. *Sphaerularum* exilitas cultelli paene superat aciem: nec nobis nisi in unicâ cavitatem lucido-glabram videre contigit. In caulibus *Solani tuberosi* aliarumque plantarum copiose. Autumno, vere.

46. S. picea.

Sphaerularum forma plerumque ellipsoidea. Crescit in herbarum caulibus firmioribus variis: v. c. *Lilii bulbiferi* (maculis atris), *Delphinii Ajacis*, *Selini palustris* (maculis piceis) etc. Oct. Nov.

47. S. striaeformis.

α, *Arundinis*

$\beta\beta$, *Junci*

Striae in α, $\frac{1}{2}/1\frac{1}{2}$ lin. longae, unam duasve series continent *sphaerularum*, quae minutae globosae astomae farctae latent, demum subprominent. Gregariae ac parallelae occurrunt striae illae in culmis arundinaceis (*Phragmitidis*) vetustis emortuis hinc inde; aestate, autumno. $\beta\beta$, major est, maculiformis, subrotunda, diametro 1 — 2 linearum, sphaerulis subprominulis subsparsis, aliis inanibus, aliis albo-farctis. Hanc ob formae sitûsque diversitatem ab α, prorsus sejunxissemus, ni caute admodum ac provide specierum augmento con-

sulendum esset. In culmo *Junci conglomerati* semiputrido semel lecta (*hohe Linde*) Augusto.

48. S. velata.
Crusta nigra in colorem sordide cinereo-lividum sparsim transit: num a gelatinâ sphaerularum diffusâ exsiccatâque ortum ducens? In ligno tiliaceo. Extremo autumno primoque vere.

49. S. uda.

α, quercina

Ad ligna arida, locis humidis dejecta, quercina vel tiliacea hinc inde, nec infrequens. Perennis: vigens vere, aestate.

50. S. spiculosa.
Lignum circumcirca colore exacte atramentoso tinctum. *Sphaerulae* laeves, totae immersae, vix *collis* prominulis: *ostiola* tenuissima, locis nudis (decorticatis) verticalia, recta, teretia, 2 fere lineas longa; — at ubi a cortice (soluto quidem, attamen ramis etiamnum inhaerente) impedita inter hunc lignumque decumbunt, flexuosa, *nodis* per intervalla interstincta, ad eximiam longitudinem (semuncialem in nonnullis!) producta cernuntur. His nonnisi temporis successum, sphaerulâ subinde pluviis excitatâ, vigoreque reassumto novum gelatinâ propulsâ internodium efformante, (internodia enim nodique constanter adsunt), augmentum illud giganteum dedisse, res ipsa docere videtur. Sententia nimirum *Todeana* (II, p. 7), ostiola Macrostomarum mera mucilaginis in ipso expulsu induratae esse figmenta, in multis, etiamsi non in omnibus, speciebus ad naturae veritatem proxime accedit. Unâ tantum vice, sed frequens, reperta in ramis emortuis *Sambuci racemosae* (*Mohölzer Haide*) Junio.

51. S. spinosa.

Plerumque ambeunte-effusa, omnium voracissima, ramos totos longe lateque cingens, imo arbusculas integras obducens, lignumque ad summam usque levitatem et fragilitatem exsugendo necans. In sylvis densis humidis vulgaris, *Populi* inprimis *tremulae* sectatrix. Perennis.

E. TUBERCULATAE.

52. S. ferruginea.

Pulvis subcompactus, vivide ferrugineus. *Ostiola* nonnunquam subdistant, ut cortex pustulae rufus ligneus inter ea appareat. In ligno coryleo duro sicco: vegetam habuimus Aprili (*Königsholz*), sphaerulis gelatinâ nigricante refertis; quâ orbas vidimus (*Sohlander Berg*) Octobri.

53. S. ciliata.

Variat *ostiolis* laevibus (in *Alno*) et rudibus i. e. superficie inaequali conspicuis (in *Cytiso Laburno*); tenuioribus et crassioribus (in *Pruno domesticâ*, ubi per *Pezizam prunastri* transcrescentem invenimus). Vere.

54. S. fimbriata.

α, approximata
β, distans

β, semel tantum inventa, et eiusdem quidem loci natalis, qui *α*, vulgatiorem fovet, particeps: verum ob characterem principem, sphaerulas nimirum aliquot solitarias circa caespitulum centralem sparsas, cum var. coryleâ omnino conjungenda fuit. — Autumno: vere effoeta.

55. S. Prunastri.

α, Pruni
ββ, Sorbi

Paullo major est *α*, transversim erumpens, formâ plerumque oblongâ: *sphaerulae* in veras firmasque pustulas, ligno duro tenacius inhaerentes, collectae: *ostiola* plus minusve distincte tetra- s. hexagona sursum subdivergunt: gregaria *Pruni spinosae*, rarius *Cerasi*, ramos siccos incolit vere et aestate. *ββ*, aliquanto minor, rotunda, tubercula tantum spuria (unde facile sphaerulae singulae solvuntur), corticis putridi reliquiis leviter tecta, loco natali laxius innata, exhibet: *ostiola* recta, contigua, cylindrum crassum obtusum efficiunt, *collis* teretibus rugoso-subsulcatis, *apicibus* tetra- s. plerumque pentagonis, angulis prominulis distinctis versus centrum tenuissime perforatum convergentibus. *Sphaerulae* magnae, ovatae, mediae rectae, extimae oblique convergentes: gelatinâ fuligineo-cinereâ scatentes deprehendimus Nov. Dec. Jan. — Hinc quam propinqua, in limitibus inter Sectiones V. et VI. constituta, *S. pentagonae* sit haec nostra, nemo non intelliget: quam tamen ab *α*, (ostiolis, loci affinitate etc. conjunctâ) separare noluimus. In ramis mortuis semiputribus *Aucupariae*, nec rara.

56. S. scutellata.

Fragilis. *Ostiola* parum prominent. Speciei hactenus ambiguae historia ulteriore illustratione omnino digna. In ramis *alneis*, rarior. Novembri.

57. S. Radula.

Stroma quoddam adest ligneum. *Ostiola* passim, epidermide impedita, difformiter tentaculata decumbunt: ceterum prominula, aspera, obtusa, quasi truncata, apice haud raro distincte perforata. Similem aliquoties legimus, sed stromate discoque valde ligneo-pulverulento insignem, ostiolis minus exsertis, sphaerulis pallidis manifeste immaturis; quam statui huius juniori, dum

per corticem penetrat, adjudicare fas erit. In ramis *quercinis* siccis dejectis hinc inde satis frequens. Maio, Junio.

58. S. nivea.

α, melastoma

ββ, erythrostoma

Stroma in *α*, colore variat niveo pallidoque: demum griseo-terreum fit, *disco* simul farinâ evanidâ sordide nigrescente. — Vulgaris occurrit ad ramos tiliaceos, quercinos, abietinos etc. praesertim tamen in populneis abundantissima: autumno, frequentior vere. *ββ*, colore sphaerularum unâ cum mucilagine pulcherrime granatino (ipso illo, qui in *S. episphaeriâ* vulgo prostat) distincta, propriam forsan speciem mereretur, ni suspicio quaedam, semel modo observatam vel ad aetatem της α, juvenilem pertinere vel ex loco mutatam evasisse, subesset. In *Populo tremulâ* ingente dejectâ, *interiorem* corticis ligno laxe inhaerentis paginam, a libero aëris contactu semotam, incolens (*ad ripas Neissae infra Rothenburg citeriores*) Aprili.

59. S. leucostoma.

Ostiola in stromate latentia teretia, intus cava canaliculata, ac ita in porum exeuntia; quibus (1/2) *discus* pertusus cernitur. In ramis mortuis *Pruni spinosae* (*Buchenwäldchen*) Maio.

60. S. Betuli.

α, inermis

β, tentaculata

Ostiolorum *colla* teretia arcte approximata pro familiae more intra pustulam delitescunt, *capita* (apices) formâ globosâ papillatâ prominent. Utraque var. in ligno arido carpineo vulgaris. Autumno, hyeme.

61. S. corniculata.

α, salicina

ββ, abietina

α, in ramis salignis aliisque arborum frondosarum passim non infrequens: *ββ*, in cortice abietino abunde obvia. *Ostiola* in hâc magis exserta, subdivergentia, apice poro rimâve pertusa vel, si mavis, umbilicata. Var. tentaculata in familiâ nostrâ indigena (cf. N. 57. 60. 62.) inter reliqua specimina sparsim occurrit. *Stroma* ceterum distinctum album subpulverulentum, in exemplis perfectioribus observatu facile, locusque natalis intermediam hanc *ββ*, inter *α*, et speciem sequentem collocant. Utraque var. perennis; postima tamen praesertim vernalis.

T. VIII. 62. S. Pini NOBIS.

f. 1. *S. orbicularis, stromate flavido compacto demum pulverulento, ostiolorum apicibus exsertis aggregatis numerosis obtusis laevibus.*

α, Pini

β, Ledi

Pustula in *α*, orbicularis plus minusve depressa, cortici rufo-ligneo semi-immersa, *sphaerulas* continet saepe copiosissimas, soliti coloris, subrotundas, demum collapsas inanes sacculo suo candido vestitas. Ex his circinatim dispositis cylinder assurgit mediocris crassus, in quo adscendunt per *stroma* dilute sulphureum, e massâ compactâ subfarinaceâ constans, sphaerularum *ostiola* recta tenuia teretia subtilissime intus canaliculata, at versus apicem clavata — ita nimirum incrassata, ut inter sese contigua stromati locum porro recusent: clavas hasce numquam nisi cerâ quâdam nigrâ farctas totasque repletas offendimus; muco spermatophoro (ut videtur), ubi hûc pervenit, aliquantum stagnante ac

inde semi-inspissato, donec tempestate favente (quod tamen oculis usurpare nondum licuit) prorsus extrudi possit. *Apices* obtusi, rotundati, laeves, demum rugulosi, alii minutissime glabro-papillati, alii tenuissime pertusi, multi tamen etiam toti uniformes — *discum* constituunt prominulum, regularem, planissimum. Stroma tandem in farinam prorsus solutum ad latera cylindri interdum protuberat, primo tum obtutui se prodens. — In cortice Pini passim frequens; perennis. Var. β, praeter locum natalem differt etiam Stromate parciore pallide flavicante, sphaerulisque subbifariis, inferioribus imperfectis astomis. Hanc parciorem legimus in ramis mortuis exaridis *Ledi palustris* (*Polsbruch*), sphaerulis plerisque collapsis, modo vacuis, modo albofarctis, Aprili. Ludit var. utraque ostiolis passim nonnullis, praesertim lateralibus, tentaculatis i. e. extra pustulam anomale prolongatis, rudibus, divaricatis: cf. quae supra dicta sunt.

63. S. microstoma.

Ostiolorum copiâ ac pusillitate insignis. Praeter ligna *Pruni domesticae* arida etiam in ramis *alneis* deciduis hinc inde occurrit, paullo major. Autumno, vere.

64. S. pustulata.

Sphaerulae numerosae circinantes, sed omnium minutissimae, oculo etiam mediocriter armato visu saepe difficiles. *Ostiolum commune* poro uno pertusum distincte cernitur. *Forma* prorsus iconis *Hoffmannianae*. *Structura* fungilli interna ulteriore indagatione omnino digna: at *ostiolorum particularium* exilitas scalpelli aeque ac oculorum respuit tentamina. Ad ramos siccos *Salicum*, *Juglandis regiae* etc. hinc inde. Autumno.

F. CIRCINATAE.

65. S. pulchella.

Sphaerulae juniores griseo-fuliginosae, subpellucentes. *Circulus* modo arctior, ac tum ostiola magis assurgunt, approximata, rectiora; modo laxior, ostiolis tum magis decumbentibus, cortici appressis, saepe valde flexuosis. Sunt haec sphaerulis quadruplo fere longiora, apice perforata, subumbilicata. Nidulatur sub epidermide in *Ceraso* copiose; etiam in *Betulâ albâ* hinc inde. Autumno, hyeme, vere.

66. S. faginea.

α, aspera

β, turgida

α, mere, sed assidue, *fagicola*. *Sphaerulae* ovatae vel subglobosae, decumbentes vel suberectae. *β,* sphaerularum (suboctonarum) turgore, maculisque nigris circum ostiola hinc inde circumfusis illico sese manifestat. In ramulis *Fagi Alni*que haud raro obvia. Laete fructificantem (*β,* foede inquinantem) invenimus utramque Oct. Nov. — exoletam vere.

67. S. ambiens.

Sphaerulae sub epidermide circinatae; *centrales* steriles astomae, quibus impositus cylinder e massâ ceraceâ compactâ albidâ, tandem per cinereum fuscescente, *discum* efformans; *marginalium* (peripheriam occupantium) *ostiola* e tereti subovata, passim quasi confluentia, parum prominula, discum illum cingunt: eorum apices obtusi, subtruncati, alii papillâ prominente glabrâ coronati, alii poro rimulâve conspicui. Plerumque subseriatim disposita est. Ramos praeamat *Crataegi:* sed et in *Fago*, *Carpino*, *Quercû*, *Betulâ* nobis, nec infrequens, obvenit. Perennis: vere inprimis vegeta.

68. S. quaternata.

Ternae quaternaeve plerumque sunt sphaerulae: rarius tamen etiam 6/8 quasi e caespitulis duobus approximatis confluunt. Sub cuticulâ ramorum siccorum *Sorbi*, *Populi tremulae*, *Coryli* etc. passim occurrit; omni anni tempore.

69. S. Platanoidis.

Sphaerulae ovatae demum collapsae, decumbentes, in cellulis familiae solemnibus ligno impressis collocatae, regularissime per seriem unicam duasve concentricas circinatae, epidermide detractâ nudae prostant. *Ostiolorum colla* procumbentia convergunt ac super centro in cylindrum brevem collecta assurgunt cuticulamque perforant; ceterum materie corticis leviter tecta, per quam (epidermide ablatâ) color eorum niger transparet: *capita* cylindrum terminantia globosa, nitida, saepius umbilicata. In ligno *Betulae albae* sicciore, nec alibi hucusque, aliquoties inventa. Vernalis.

70. S. salicina.

Obiter inspecta speciminibus *S. niveae* imperfectioribus haud dissimilis est: at vel ipsis sphaerulis stromate nullo proprio, sed merâ ligneâ materie internatâ invicem connexis — abunde differt, locumque sibi in Sectione nostrâ vindicat. Crescit in ramis salicinis copiose, discum mox nigrescentem mox albidum prae se ferens. Perennis.

71. S. Tessella.

α, cincta

β, decedens

Var. *α*, rarior apud nos, nec nisi immatura (sphaerulis pallidis mollibus; cingulo tamen nigro suo jam inclusa) observata. Hinc, num specie a *β*, (in ipso familiae limite positâ, sphaerulis circinantibus quidem, at ostiolis haudquaquam convergentibus, sed seorsim epi-

dermidem perforantibus) sejungenda sit, dijudicare haud ausimus. Occupat haec ramos non tantum coryleos, sed et salignos varios hinc inde. Autumno, vere.

G. CAESPITOSAE.

a) *Stomatophorae.*

72. S. decolorans.

α, congregata

β, decipiens

Utraque in cortice arborum frondosarum variarum non infrequens autumno et vere. Farinulam coloris pulchelli dilute carnei copiose in *α*, ex ostiolis efflorescentem conspeximus Martio.

73. S. coccinea.

α, diluta

Species colore, superficie, staturâ, formâ ab antecedente probe distincta. Color in siccâ sanguineus, ostiolo saturatiore. Habitat ad cortices *Fagi*, ubi circum ostiola *S. fagineae α*, nonnunquàm, stromate tum depauperato, parasitatur — *Cerasi* etc. sed praefrequens ac pulchra in cortice *abietino*, sphaerulis fragilibus demum passim dimidiato-laceris. Vere, aestate.

74. S. Laburni.

Caespites saepe plures confluunt. *Stroma* sub epidermide latens ramulos totos longe lateque cingit. *Sphaerulae* satis magnae: intus massâ ceraceâ nigricante repletas habuimus Apr. Maj. — Loco suo frequens.

75. S. populina.

ββ, elatina

Formâ sphaerularum e globoso subovatâ, loco natali, ac praesertim receptaculo obliterato seu vix ullo ab *α*, discrepans, specie forsan semovenda fuisset; cum tamen

laevitie, colore atro, papillarumque formà etc. ad iconem descriptionemque cl. *Persoonii* proxime accederet, necdum utriusque ad naturam comparandae occasio nobis oblata esset, hûc nostram adscribere, quam novam praepropere speciem admittere, consultius duximus. Bis lecta fuit: frequentior in ramulis *Pini piceae* (*Eulenwald*): parcior in *Ledo* (*Quizdorf*). Gelatinam caesiam promebant ostiola Maio.

76. S. appendiculata.

Caespituli 1/3 linearum. *Stroma* satis crassum fuscescente-cinereum, plerumque appendiculatum. *Sphaerulae* nigrae tantillum fuscescunt aut obscure purpurascunt, aliae semivacuae, aliae cerâ nigro-fuscâ totae farctae. *Ostiola* papillata subconica distincta. In ramulis siccis *Ulmi campestris*, copiosius *Ribis rubri*. Autumno, vere.

b) *Astomae*.

77. S. Aucupariae.

α, *Sorbi*

ββ, *Cerasi*

De specie etiamnum aenigmaticâ cum *Synopsi meth. fung.* p. 51. 52. prorsus sentimus. *Sphaerulae* in nostris quoque teretes fere, iconi *Todeanae* parum consonae, nec plano-lamellatae apte dicendae: ceterum binae ternaeve deorsum saepe connatae. *α*, major est, subrotunda, in *Sorbo* frequens autumno et praesertim vere: *ββ*, duplo fere minor, ovato-oblonga, transversim erumpens, sphaerulis simplicioribus, rarius per paria basi coalitis. Hanc in *Ceraso* aliquoties offendimus (*Monplaisir*) Maio.

78. S. Berberidis.

Subiculum subcuticulare tenue, terreo-fuscum. *Sphae-*

rulae primordiales rubrae, molles, laeviusculae: dein fuscae: demum nigrae valde rugosae, imo tuberculosae: omnium aetatum exempla in uno eodemque ramulo junctim tempore vernali observari possunt. In perfectis praeter *rugas* superficiei communes *rima* una vel altera transversalis profundior, quam dehiscere velle facile judicaveris, haud raro adest: verum examina saepenumero repetita sphaerulam apertam nunquam monstravere. In ligno *Berberidis vulgaris* emortuo vix unquam absens. Perennis.

79. S. cupularis.

Admodum variat magnitudine sphaerularum, ceterum constanter astomarum: quae humectatae formam globosam, statu decrepito excepto, recuperant. In ramulis arborum frondosarum variis v. c. *Populi nigrae*, *Cytisi Laburni*, *Sambuci nigrae* etc. hinc inde. Hyeme, vere.

80. S. Cucurbitula.

Propior haec *S. coccineae*, quam *cupulari* esse videtur: nos certe, ubi sphaerulae collapsae in formam pristinam subovatam aquâ refectae assurrexerant, *ostiolum* in haud paucis minutissimum quidem, at distinctum, papillaeforme vidimus. Differt tamen *substantiâ* praesertim multo molliore ac tenaciore: unde fit, ut sphaerulae, in *illâ* vel formâ conservatâ deciduae vel diffracto-lacerae, in *hâc* in figuram pezizoideam collapsae diu persistant. Colore variat mox rubro, mox eleganter aurantio. In ramulis frondosis rarior: praefert enim *cortices pineos abietinosque*, in quibus satis frequens hospitatur Mart. Apr.

II. SIMPLICES.

a) *Platystomae.*

81. S. cristata.

β, Arundinis

Macula circum *sphaerulas* haud raro effusa: hae plerumque sunt sparsae, hinc inde tamen etiam 2/3 in lineolam longitudinaliter confluunt. In culmis *Phragmitidis* semiputridis vetustis Mai. Jun.

82. S. dehiscens.

α, nigra

Magna, labiis late hiantibus. In lignis variis duris siccis. Autumno, vere.

83. S. compressa.

Parva, tota compressa, labiis arcte clausis. In ramis arborum frondosarum vulgaris. Perennis.

84. S. diminuens.

Sparsa vel subgregaria, e familiae more: 2/3 *sphaerulis* passim confluentibus. *Ostiola* interdum perfecte conica. Ad ramos aridos decorticatos *Crataegi*, *Sambuci racemosae* etc. Apr. Maio. — Obviae ceterum nobis praeter hasce ad N. 80 — 84. indicatas nonnullae quoque aliae fuere, quas e nimiâ specierum admodum affinium congerie extricatu difficiliores omittendas censuimus. Characteres enim in hâc familiâ distinctivos plerosque parum firmo niti talo assiduum quemque naturae observatorem haud diu latebit: ita v. c. situs plus minus immersus nudusve varias fungillorum horum aetates evidenter sequitur; necdum de labiorum dehiscentiâ diversâ, quatenus ad fructificationis periodos pertineat, satis liquet etc. Inde ex ulteriore Sectionis nostrae investigatione specierum hactenus constitutarum numerum imminutum iri, minime dubitamus.

85. S. episphaeria.

Provenit in *S. Stigmate*, nec alibi hucusque, vulgaris. Perennis.

b) *Macrostomae.*

86. S. dryina.

α, *laevis*

ββ, *tomentosa*

Affinis omnino *S. rostratae:* differt praesertim mole multo minore, superficie laevi, rostro longiore flexiliore, colore tantillum in fuscum vergente. Crescit *α*, in lignis quercinis, rarius aliis, nudis (fissilibus, igni destinatis) hyeme, vere; denso nonnunquam agmine. *ββ*, in ligno semiputri serrâ truncato (*abietino*, ut videbatur) semel reperta (*Arnsdorfer Berge*): tomento laete fusco strigoso (num advenâ?) obtecta, sphaerulis minutis exacte globosis laevissimis demum emergentibus, ostiolis setaceis tenuissimis strictiusculis. Aprili.

87. S. rostrata.

Nos hanc speciem nonnisi subterraneam, palos trabesque cellae (*Gemüsekeller des Gasthofes*) longe lateque occupantem, in variis emersionis statibus a b. *Tode* descriptis habuimus hyeme, vere. *Ostiola* elongata, setacea, subflexuosa, in exemplis plurimis glebulâ pendulâ gelatinae induratae sordide flavicantis subglobosâ vel irregulari coronata.

88. S. lagenaria.

Villus bascos, etiamsi ad matrem non referendus sit (saepe enim in exemplis quoque *hymenia* laevissima incolentibus observatur), attamen nec fungillo proprius, cum haud raro desit, sed pro bysso quâdam speciei nostrae amante adventitiâ habendus est: tomentum modo tenue cinerascens sistit, modo firmior ac satis stri-

gosus apparet. Primordialis fungus totus e flavescente fulvus, mollissimus, pellucens, ostiolo jam tum praesente (unde ab opinione de eius ortu *Todeanâ*, de quâ diximus ad N. 50, in hâc pluribusque speciebus prorsus discedendum esse videtur): dein paullatim induratur badiusque fit, nicore tamen quodam subdilucido fulvello, in rostro praesertim, etiamnum residuo: demum totus rigescit nigerque evadit. *Ostiola* staturâ, tenuitate ac directione ludentia aliquoties valde elongata simulque setacea ac flexuosa nobis visa: et in hâc quoque specie globulum (*Stilbi* capitulum mentientem) cirrhulumve e mucilagine durefactâ flavidulum apice saepe gestantia *vera* sese ostia seminis emissioni destinata, nec *spuria* ex ipsâ gelatinâ seminiferâ appendicula esse confirmant. — Mycophila species *Boletorum* praesertim (*B. adusti*, *versicoloris* etc.) *utramque* paginam, in densissimas passim cohortes aggregata, obsidet. Minime infrequens Mart. Apr. rarior jam Maio.

89. S. stricta.

Rigida demum et fragilis, unde ostiola interdum semifracta occurrunt. In lignorum frustulis siccis, sed parcior, hinc inde. Aestate et autumno.

90. S. cirrhosa.

α, nigra

ββ, fusca

Ostiola admodum *rudia*, superficialibus conspicua vallibus jugisque (unde *spuria* videntur, cf. N. 88.), sed *glabra: sphaerulae* villo quodam brevi lanuginoso, sparsim in cirrhos flexuosos ligno molli interrepentes prolongato, obductae — ceterum passim aggregatae, passim seminudae, plerumque tamen sparsae totaeque immersae. Eligit sibi ligna humentia putredine emollita inprimis *pinea* et *abiegna*, quae neutiquam rara inco-

lit vere et aestate. Var. ββ, minor, purpureo-fusca, ostiolo tenuiore praedita, ramis cariosis siccis (v. c. *Sambuci racemosae*) immersa bis terve reperta Maio, Junio.

Tab. XI. f. 6. 91. S. lineata NOBIS.

S. (simplex macrostoma) lineatim seriata opaca nigra, sphaerulis globosis laevibus immersis, ostiolis prominulis mediocribus crassis rugosis difformibus ex ovato subteretibus, apice pertusis.

Ad *S. capitatam Pers. Synops.* p. 80. nobis ignotam aliquatenus accedere videtur: veruntamen praeter reliquas notas vel ostiolorum (quamvis et in nostrâ specie sphaerulas ipsas primo adspectu simulantium) formâ nimis discrepat, quam ut cum illâ conjungi possit. *Sphaerulae*, quas inanes vidimus, globosae fere, contiguae, in series longiores brevioresve rectilineas intra rimas ligni dispositae, rarius sparsae, laeves nec cirrhosae, totae immersae, nec nisi in aetate decrepitâ interdum seminudae, superâ simul parte per summam fragilitatem amissâ, inferâ tantum cupulari superstite. *Ostiola* sphaerulas fere aequantia, vel paullo longiora, iis saepe parum tenuiora, canali spermatico (apice in porum utplurimum luculentum exeunte) perforata, rugosa, imo subsulcata, formâ anomalâ variâ (mox ovatae propiore, mox ad teretem accedente, saepe ex ovato sursum subrostratâ) ludunt. Unâ solum vice, sed perfecta frequensque, in ligno *pineo* vetusto sicco inventa (*bey den Linden*) Junio.

92. S. biformis.

α, macrostoma

β, brachystoma

Sphaerulae et nobis biformes: sed earum forma haud adeo exacte, ac perhibet cl. *Persoon*, in nostris cum

ostioli longitudine congruit: sunt videlicet utriusque figurae aliae macrostomae, aliae brachystomae. Satis magnae sunt sphaerulae, subtuberculosae, sub lente aliquantum fuscescentes: *ostiola* regularia, teretia vel subconica. *Pili* longiusculi, nigri, sparsi, rigiduli, divergentes. *Tomento* cuidam subiculari nonnulla exempla insidentia observavimus, sed inconstanti, ac inde alienigeno putando. In ligno sicco exesissimo *alneo* subcorticalem habuimus unico loco (*Moholzer Haide*) speciem raram. Aprili.

93. S. tubiformis.

Sphaerulae ovatae, epidermidem luculenter elevantes; discissu faciles vel vacuas vel mucilagine inspissatâ plenas sese produnt. *Ostiola* recta, crassiuscula, obtusa, brevia, sphaerulâ duplo fere, vix triplo, longiora, guttulâ anomalâ induratâ pellucidâ fulvescente (cf. N. 87. 88.) passim coronata. *Color* opacus, sordidus, difficilis descriptu, nigricans, sed terrei quid aut olivacei (vix rufescentis) admixtum habens — mox totum fungillum occupat, mox in sphaerulâ rostrique basi, rarius apice, in nigrum abit, semper tamen in ostioli luci obversi aliquâ parte translucendo visibilis. Collapsam hanc speciem, quam exacte sistit icon *Todeana* XVI, 128., numquam vidimus. Frequens crescit in foliis *alneis* deciduis semiconsumtis autumno et praesertim vere: rarius in foliis *coryleis*, rostris paullo longioribus apice tantillum incrassatis, demum inclinatis. Cavendum in hâc, ne ostiola cum setulis foliorum nervos obsidentibus, primo obtutu subsimilibus, confundantur. Mart. Apr.

94. S. flaccida NOBIS. Tab. VII f. 4.

S. (epiphylla simplex) ochreo-fulva, sphaerulis subglobosis tectis, ostiolis teretibus elongatis flexuoso-flaccidis, demum deciduis.

Vel sparsa, vel in caespitulos laxiusculos collecta. *Sphaerulae* initiales exiles, cum rostro tum temporis breviore recto confluentes fere, eoque vix crassiores, intra folii substantiam latentes: at in formam magis globosam ellipsoideamve sensim succrescentes cuticulam aliquantulum attollunt, massâ ceraceâ concolore dein nigricante farctae: effoetae tandem ostioli amissi loco poro ingente pertusae inanesque cernuntur. *Ostiola* adulta varie directa, minus magisve flexuosa, laxa, marcida quasi, tenuiuscula, teretia, apice obtusa, imo subtruncata, sphaerulis quintuplo sextuplove fere longiora: ceterum laevia, ex ochraceo rufo - seu fulvo - pellucida, donec exoleta pube quâdam albâ byssinâ parasiticâ (quam nunquam deficientem vidimus) obtegantur. Laxissime tum sphaerulis suis inhaerent, detersilia, mox sponte caduca. Habitat species memorabilis in foliorum *Paeoniae officinalis* semivivorum paginâ aversâ frequens. Oct. Nov.

95. S. Gnomon.

Tota atra. *Sphaerulae* valde collapsae, minores quam in *S. tubiformi; ostiola* multo longiora tenuioraque, interdum subarcuata. In foliis *Coryli* deciduis aridis, parcior nobis (*Sproizer Hügel*). Martio.

96. S. setacea.

Sphaerulae tectae, distantes, parcae, majusculae, globoso - depressae vel ellipsoideae; intus lucidae cavae bis nobis visae, in foliis *betulinis* semiputribus dejectis, Maio. — At porro varia folia sicca (querna, faginea, betulina etc.) setularum visum fugientium, bulbillo tecto (*an sphaerulae?*) innatarum gregibus saepenumero horrent. Quas si quis, a nobis frustra tentatas, in posterum interiora scrutando Sphaeriarum generi vindicare valuerit, a *S. setaceâ* ob eximiam pusillitatem sejunctas

vel in propriam speciem eriget, vel sequenti potius accensebit. — Omni anni tempore.

97. S. Solani.

Frequens loco suo: sed nimiae exilitatis caussâ saepe negligitur, e tuberis epidermide difficilior extricatu. Oct. Nov.

98. S. acuta.

α, nuda

ββ, tecta

Ostiola longitudine fere capsulae vel paullo ultra; occurrunt tamen et duplo longiora. Semifracta haud raro sunt aut penitus decidua. Provenit *α*, in caulibus variis siccis autumno sero, hyeme, vere: *ββ*, in ramis *Rosae caninae* semel (*Thiemendorf*) obvia, tota immersa erat, ostiolis erumpentibus; at ceteroqui ad *α*, proxime accedebat. Octobri.

c) *Brachystomae.*

99. S. rubella.

α, rubra

β, porphyrogona

Utraque var. in caulibus herbarum majorum putrefactis siccis (*β*, inprimis in *Solano*, vernalis) non infrequens, sed non semper fertilis. Differt *β*, laevitie, maculaeque colore pulchelle purpureo - violaceo; speciem tamen diversam haudquaquam meretur. — Vere, aestate.

100. S. fimeti.

α, equina

β, vaccina

Loco suo utraque vulgaris: sed cum saepius tota fere tecta sit, nec nisi ostiolorum apices in conspectum prodeant, facillime fugit minus oculatos. Autumno, hyeme, vere.

101. S. pomiformis.

α, laevis

β, rugulosa

Cf. *Pers. icon. pict.* tab. V. fig. 4. 5. Byssum simplicem pilliformem sparsam albidam sphaerulas, in *β*, praesertim, passim obsidentem aliquoties observavimus. Neutra ceterum varietas nobis rara; in lignis semiputridis passim occurrens, per totum annum.

102. S. seriata.

Sphaerulae in statu etiam sicco molliusculae: alias vidimus albido-farctas, alias inanes. Rimulis superficialibus (vix immersa) potitur trabium, palorum, lignorum quercinorum. Perennis.

103. S. Peziza.

α, villifera

ββ, globifera

In *α, villus* ille, cuius meminit cl. *Hoffmann* l. c., tenuis farinosus albus ex ostiolo minuto parum conspicuo protrusus - hyeme primoque vere satis frequens observatur, rariusculus autumno. Occurrit haec, colore interdum (idque laete vegeta) ludens vivide aurantio, in lignis putredine emollitis copiose. Varietatem *ββ*, quam nonnisi semel nimisque parcam se nobis obtulisse admodum dolemus, dubii hûc adducimus: distabat ab *α*, praeter substantiam mollissimam globulo praesertim regulari pulchre cinnabarino, quem coronae loco gerebat. Ad truncum putrem (*Moholzer Haide*) Aprili.

104. S. byssiseda.

β, fusca Tode II, 10.

Stratum cortices cingit fibrosum crassum arcte intertextum, filamentis satis firmis, colore sordide cinereo, fusco, nigricante variantibus: huic semi-immersae sunt *sphaerulae* sparsae vel contiguae, magnae, sursum gla-

brae, globosae, admodum regulares: *ostioli* papilla *acutiuscula*. Hinc et ob crustam nonnumquam cinerascentem nostra forsitan intermedia inter *S. byssisedam* et *cineream* existimanda. Hab. species elegans ad ramos varios, *Salicis Capreae* etc.: sed *abietinos pineosque* praeamat, in quibus copiose occurrit autumno tardo ac inprimis vere.

105. S. aurantia.

Sphaerulae centrales arcte congestae, marginales sparsae: adolescentes gelatinâ fluxili turgent, quae dein capsulae etiamnum inclusa in massam albam farinaceo-viscidam maturescens abit. Farinâ istâ sphaerulas alias totas farctas, alias jam evacuatas villi ad instar coronatas deprehendimus. *Ostiola* dilutius saepe colorata, subpellucida. Parasitatur minime rara mox in *Boletis* (*versicolore* etc.) mox in *Stereis Corticiisque* vetustis semidestructis truncos alneos, pineos etc. incolentibus. Perennis: junior sero autumno, fertilis vere et aestate.

106. S. rosella NOBIS. Tab. VII f. 5.

S. conferta, sphaerulis e globoso dein ovatis saturate roseis papillatis, crustae tomentosae rosellae, margine niveae, insidentibus.

Habitu, crustâ tomentosâ, sphaerularum situ adultarumque formâ — congruit cum praecedente: attamen vel coloris ipsius alienissimi caussâ quam digna sit, quae separetur, nemo non videt. *Crusta* e tomento delicato conflata, laxius initio contexta, candidissima, colorem paullatim in centro induit incarnatum; superficie etiamnum sterili, sed *sphaerularum* paullo post emergentium primordia jamjam annunciante. Sunt hae per aetatem infantilem globosae, mollissimae, pellucentes, aquose pallidae, vesiculas aqueas exacte referentes: adolescentes dein, dum *ostiolum* obtusum crassiusculum cum se-

met ipsis subconfluens (colorem illum dilutum diutius conservans) protrudunt, formam magis magisque adipiscuntur ovatam, ac colore simul vestiuntur, crustâ centrali comite, e carneo sensim saturatius roseo purpurascente. E tomento porro, firmius tum (si marginem exceperis, in laxitate aeque ac colore primordiali perseverantem) compexo, solidiores jam satisque durae, totae fere exsurgunt, pulcherrimoque sese spectaculo praebent. Muco spermatophoro pallido fluxili scatentes vidimus Oct. Nov. necdum prorsus maturas: inde tempore, forsan et historiâ, fructescentiae cum antecedente hanc speciem convenire, vero simillimum est. — In sylvaticis densis humidis opacis (*Moholzer Haide* etc.) locis putrescentibus humi prostrata, in foliis, muscis, truncorum basibus ad 1/2 uncias effusa occurrit: hactenus aestate, autumno.

107. S. albicans.

α, subsparsa

γγ, fimicola

α, in *Salicum* cavitatibus, sphaerulis staturâ variis, passim viget autumno et vere. *γγ*, quamvis iconi *Todeanae* descriptionique *S. confluentis* l. c. in reliquis omnibus satis consona, propter effusionem tamen locumque inprimis adeo abnormem varietate propriâ haud indigna nobis visa est. Locis enim sylvaticis umbrosis (*Moholzer Ziegelscheune*) stercori vaccino sicco infusam, in maculas 1/2uncialis diametri collectam invenimus, exeunte Augusto.

108. S. ovina.

α, albida

Non tantum in truncis ramisque dejectis putredine tactis vulgaris est; sed et in foliis aliisque quisquiliis humi jacentibus udis, quibus basi mucidâ laxius tantum adnata

loco facile movetur, neutiquam rara habetur. Omni anni tempore.

109. S. mutabilis.

ββ, tuberculosa

Differt nostra a var. *α*, superficie luculenter ac constanter tuberculatâ: sed characteres reliqui ad unum omnes congrui meram nihilominus varietatem esse pronunciant. *Papilla* obliterata. *Tomentum* sordide ferrugineum: humectatum nigricat, at cum exsiccatione colorem pristinum illico resumit. In greges satis densos longe lateque effusam aliquoties legimus in ligno *Populi tremulae* carioso exsiccato, locis suffocatis humi jacente. Vere, aestate.

110. S. canescens.

α, incana

ββ, nigra

Var. *α*, in lignis duris siccis hinc inde obvia, cinerea est, parum virescens, passim fuscella. *ββ*, convenit hirsutie, situ, summâ fragilitate (unde et haec dimidiata celluliformis saepissime reperitur), totoque habitu: sed sphaerulae nigrae sunt, virore quodam (heterogeneo, ut videtur) interdum obductae, at numquam canae; mirâ porro abundantiâ conspicuae, quâ truncos *abietinos* (vix alios) semiputres saepe totos quantos cohortibus arcte stipatis obvestiunt. Formâ variant subglobosâ ovatâque. Fructificantem, ostiolis gelatinam albidam promentibus, vidimus Aprili.

111. S. strigosa NOBIS. Tab. V. f. 7.

S. simplex gregaria, sphaerulis subglobosis ovatisque nigris, barbâ rigidâ longâ incanâ undique strigosis; ostiolo papillato subobsoleto.

Caterva ex hâc specie aggregata, desuper obiterque inspecta, *Dematii* cuiusdam canescentis sylvulam refert,

coarctata, longe lateque effusa: sparsae ad marginem vel solitariae rarius occurrunt *sphaerulae.* Sunt hae e subglobosâ formâ plus minus ovatae, coloris sordide nigri; substantia corticis tenax, unde vel vetustissimas numquam diffractas reperimus; magnitudo mediocris. *Barba* satis densa e *setis* constat rigentibus longis, mox satis regulariter radiatim circumquaque divergentibus, mox minus magisve divaricatis, incanis, passim subvirescentibus — quarum summae demum obliteratae amissaeque calvum ostendunt, puncti ad instar nigri, Sphaerulae verticem. *Ostiolum* prae barbâ aegrius agnoscendum, in nonnullis tamen perfectum papillatum subconicum nobis visum fuit; in aliis, praesertim denudatis illis modo descriptis, obsoletum est. Sphaerulas nonnisi inanes habuimus: in truncis lignisque *abietinis* siccis, etiam adustis. (*Moholzer Haide*). Autumno, vere.

112. S. pilosa.

Color ater. *Sphaerulae* minus quidem distincte quam in sequente, attamen etiam subtuberculosae, pilis interdum confertiusculis obsitae. Ad ramos siccos (*Moholzer Haide*). Maio.

113. S. hirsuta.

β, acinosa

Gregaria vel subsparsa *astoma* globosa (aciniformis) atra, verrucosa, sparse breviterque pilosa. *Sphaerulae* parvae, fragiliusculae, vetustiorum paucae dimidiatae: *ostiolum* vix ullum, ni passim rudimentum eius aliquod videre tibi videaris. Ex hâc descriptione proximam nostram *S. acinosae Batschii*, vix nisi colore atro discrepantem, cumque eâ conjungendam esse, facile patet: verum an a specie *Persoonianâ* separanda sit, huius vel icone vel exemplis vivis destituti, dijudicare non ausimus. In lignis pineis abiegnisque hinc inde. Junio.

114. S. spermoides.

Est e vulgatioribus, ligna varia sicca incolens; vernalis et autumnalis.

115. S. Bombarda.

Sicca opacior, nigricans: humectatâ e badio fusca, apice saepe dilutiore. *Ostioli* papilla nigra acutiuscula. *Sphaerulae* farinâ suâ pleraeque prorsus evacuantur: in nonnullis tamen (iisque manifeste exoletis, prae senio deorsum inprimis valde corrugatis, nec in aquâ amplius reviviscentibus) partem eius residuam, filorum in speciem contortam, offendimus. Epixyla, in acervulos collecta, rarior in regionibus nostris (*Moholzer Haide*). Martio, Aprili.

116. S. Artocreas.

ββ, umbilicata

Plicâ annulari in medio fere fungillo prominulâ, formâ pulvinatâ, exiguitate, situ epiphyllo etc. cum *α*, convenit nostra: sed intra annulum constanter, humida aeque ac sicca, depresso-concava umbilicum centralem ostendit, cuius fundum modo subtilissime papillatum, modo (ostiolo deciduo, ut videtur) perforatum per vitra augentiora conspeximus. Superficies ceterum, in exemplis exsiccatis rugis subparallelis vel e centro quasi divergentibus eleganter extra annulum distincta, humectata laevitiem paene lucidam mox (ni exoleta fuerit) recuperat. *Sphaerulas* alias massâ ceraceâ, albo-fuligineâ farctas, alias seniores pulvisculo illo tenerrimo *Todeano*, in quem igitur nucleus modo dictus arefactus fatiscere videtur, repletas invenimus. — Sparsa incolit folia dejecta arida *Pruni virginianae* (*Monplaisir*) frequens, *Crataegi Oxyacanthae* (*Thiemendorf*) parcior, sed paullo major perfectiorque. Apr. Maio.

117. S. Lingam.

Speciem raram, admodum polymorpham, per iconem descriptionemque *Todeanam* optime illustratam, in caule herbae majoris exsiccato nec amplius definiendo semel legimus (*Ullersdorf*) Martio.

118. S. Doliolum.

α, *subteres*

ββ, *hemisphaerica*

Sphaerulae mediocres, nudae, sparsae, nitentes, atrae: earum latera cingunt *plicae* 2 — 3 — 4 orbiculares, concentricae, satis regulares: *ostiola* papillata: *locus natalis* stipites caulesque herbacei firmiores. In hisce characteribus ambae conveniunt varietates: at ββ, formâ discrepat pulvinatâ subsemiglobosâ. Pari fere frequentiâ, nequaquam rarae, obveniunt: vere, autumno.

119. S. herbarum.

α, *complanata*

β, *convexa*

γ, *tecta*

α, elegantula, sparsa, regularis, in caulibus emortuis semiputridis passim, non infrequens. β, rarior, in *Arundine Phragmitide* praesertim observata, a praecedentis varietate ββ, ostioli formâ plicarumque defectu affatim distincta. γ, totius forsan generis vulgatissima, stipites herbarum aridos ubique infestans. — Autumno, vere.

120. S. fissa.

Subiculi omnino adsunt rudimenta, sed parca et obsoleta, vix digna, quae speciem aliorsum ablegent. Loco haec suo passim invenitur, aestate et autumno.

121. S. operculata.

α, *sparsa*

γγ, *quincuncialis*

δδ, *seriata*

Formâ *ostioli* insigni rotundâ depresso - concavâ ob marginem prominulum annularem subpezizoideâ congruas omnes tres, ne quis in speciebus separandis justo celeriores nos redargueret, tantisper conjunximus: haud multum tamen recusaturi, si quando, situ, historiâ, aliisque notis satis diversae, a pluribus observatae ac amplius illustratae in species proprias semòvendae censeantur. Var. *α*, absque ordine sparsa, in statu immerso persistens, ad ligna *alnea* aliaque hinc inde occurrit. In *γγ*, *sphaerulae* majusculae globosae initio totae tectae ostiola tantum promunt; postea autem semi - emersae, simulque (hemisphaerio supero ostiolum gestante per summam fragilitatem statim perdito) circumscissae, *cupulam* exacte semiglobosam atro - lucidam, cellulae suae ligno insculptae insidentem, sistunt: longe lateque ceterum in quincuncem regularissime disposita, in arbore unicâ (*Fago*, ut videbatur) emortuâ ac decorticatâ (*Königsholz*) frequens inventa. Var. *δδ*, tractu lineari ligni sicci *abiegni* (*Polsbruch*) rimas occupat, sphaerulis ovatis immersis fuscis, quae subcontiguae passim quasi stromate quodam inter se junctae videntur; unde ad *S. protractam* (*Synops.* I. p. 34.) forsan aliquatenus accedit. In hâc praecipue ostiola, primo (quod et in *α*, *γγ*, obtinet) simpliciter globoso - depressa, dein magis collapsa Pezizulas minutissimas nigras adeo aemulantur, ut vel peritissimo cuique illudant. — Aprili, Maio.

122. S. incrustans.

Praeter ligna *populnea* in cavitatibus etiam ligni *quercini* fissilis, et maximam quidem, ad spithamam et ultra effusam, hinc inde habuimus. Hyeme, vere.

123. S. pulveracea.

Ad ligna dura sicca apud nos rarior: vulgatior in *Pino*,

ubi magis sparsa crescit, superficie minus inaequali, ob notas tamen reliquas probe congruas huc referenda: nonnunquam subseriata. Vere praesertim et aestate.

124. S. pertusa.

Sparsa vel subgregaria. *Sphaerulae* initio totae immersae sunt, *ostiolis* tantum conicis acutiusculis prominentibus; postea semiemergunt, ostiolis primo obliteratis (ut in hoc statu *subastomae* videantur) dein deciduis (unde tum *pertusae* apparent): demum totae emersae facile confringuntur. In ligno sicco indurato. Aprili, Maio.

125. S. inquinans.

γγ, Betulae

Simplex, dense aggregata, atro-inquinans, sphaerulis demum emersis perforatis. Ad figuram *Todeanam* proxime accedit: sed distat situ, velo a nobis saltem nunquam viso, emersione, fragilitate. *Sphaerulae* initio latentes epidermidem secum attollunt, quam dein *ostiolo* crassiusculo brevi subtereti apice pertuso perforatam pessime inquinant: tandem totae emergunt, magnae, laeves, semiglobosae vel ellipsoideae, ipsae jam ostiolo deciduo apice perforatae, fragiles, inanes. *Pseudocrusta* tum e massâ spermaticâ projectâ in centro aggregationis satis crassa adest, substromatiformis. In cortice dejecto semiputri betulino, infrequens: semel etiam in *Salice alba*, ubi parum inquinare visa fuit, obviam nobis facta. Vere et aestate.

126. S. Tiliae.

α, latens

β, constricta

Sphaerulae magnae, extra vigoris tempus collapsae. Abunde incolit utraque *Tilias*, *Fraxinos*, forsan et alias arbores; sed in latebris suis saepissime negligi-

tur. Perennis: laete fructificantem habuimus Mai. Nov.

127. S. rhodostoma NOBIS. Tab. IV. f. 8.

S. simplex aggregata tecta globosa sordide nigra, pseudocrustae concolori insidens, ore pertuso roseo-rubro.

Majusculae sunt *sphaerulae*, globoso-subdepressae, arcte utplurimum congestae, plicis annularibus concentricis saepe notatae; epidermide per encheiresin facillimam detractâ in conspectum illico veniunt. Simul autem, ni cautissime egeris, *ostiolis* (parvis subconicis) laxius inhaerentibus cum cuticulâ ablatis, *vertices* sphaerularum plerique poro mediocri pertusi cernuntur, jucundo picti colore roseo versus rubrum vergente; qui, in exsiccatis etiam quamvis vigore imminuto persistens, num a materie quâdam tinctoriâ epidermidi insitâ derivandus erit? — *Pseudocrustae* origo a cortice putredine dissoluto deducenda videtur. Sphaerulas nonnisi inanes vidimus, sacco notissimo vestitas, ceterum minime inquinantes. Ejusdem sane haec nostra cum praecedentibus familiae naturalis est socia: quanto tamen merito suo speciem propriam constituat, ex icone descriptioneque nostrâ sufficienter illucescere speramus. Frequentem legimus in *Rhamni Frangulae* ramis emortuis (*verlornes Wasser*) Maio.

d) *Astomae.*

128. S. pulvis pyrius.

Polymorpha; *sphaerulis* ellipsoideis, globosis, ovatis, difformibus — ceterum rugoso-tuberculosa quidem, sed multo segnius sequente. In lignis nimia. Perennis.

129. S. moriformis.

α, trivialis

β, fasciculata

γ, globosa

Vulgaris prostat α,; quâ rarior quidem, attamen hinc inde obvia, habetur γ, — utraque modo densius laxiusve congesta, modo subsparsa. β, semel tantum (in ramulo arboris frondosae ad *Ullersdorf*, Martio) lecta, confertim quidem fasciculata erumpit; sed stromate *genuino* carens, sphaerularumque formâ ac superficie varietati vulgatae nimis propinqua, specie separari neutiquam potest. — Varr. α, γ, perennant.

130. S. tristis.

$\beta\beta$, *fusca*

Sphaerulae atrae, globosae aut subovatae, laeviusculae, tantillum rugulosae vel minutissime granulosae, *non* collapsae — *subiculo* (nec ligno) semi-immersae insident insigni crassiusculo piloso-strigoso fusco. Varii arborum frondosarum ramuli, at etiam ligna nuda carie exesissima sicca abietina etc. speciem passim fovent nitidulam, quam sphaerulis aliis vacuis, aliis gelatinâ inspissatâ ceraceâ candidâ farctis invenimus Maio, Junio.

Tab. IX. 131. S. exilis NOBIS.

f. 4. *S. astoma minutissima atra, pilis sparsis patulis hispida, e formâ globoso-depressâ dein collapso-concava.*

Omnium minima: oculo inermi vix visibilis, punctillum exilissimum referens, etiam per lentem modice augentem Sphaeriolam Pezizulamve exiguam ostendit. Interiora rimari in tantulae molis fungillo non licuit: verum forma historiaque Sphaeriarum generi indubium vindicant. Paucas vidimus *sphaerulas* juniores nondum collapsas; cupulares prorsus pezizoideas longe plurimas; astomas omnes, pilis rigidiusculis patulis adspersas, ceterum laeves. Formae mutatione, laevitie, pusillitate a *S. hirsutâ* β, discernenda. Observavimus hanc ad lignum humi jacens obtectum semiputre *Populi tremulae* (*Moholzer Haide*) abundantem, quasi satam. Octobri.

132. S. comata.

α, atra

β, fusca

γγ, ovata

Praeter comam *verticis* longissimam, mox fastigiato-conniventem, mox plus minus divaricatam, *basis* etiam in junioribus capillorum radiatim divergentium circulum amplum densum matrici irrepentem (basin latam quandam, cuius centro imposita est sphaerula, efficientem) quaquaversum emittit: totus tum porro fungillus pilis brevioribus hirtus est. At capillitium istud universum hactenus descriptum (pro *bysso* advenâ nobis judicibus nequaquam habendum) admodum fragile paullo post hinc inde semi-diffractum ac obliteratum cernitur, dein totum perit. Capsulâ tum jamjam laevigatâ, sed verticis caesarie aliquanto solidiore etiamnum persistente, exempla nostra iconem *Todeanam* adeo exacte referunt, ut vel inde (quantumvis mirabundi, hirsutiem illam universalem Dematium quoddam vel Conopleam quadantenus simulantem, sexcenties a nobis observatam, auctori nunquam in conspectum venisse) speciem propriam constituere religioni habuerimus. *Sphaerularum* cortex tener, omnium fragillimus, capillamenti onere vexatus fissuras saepe varias acquirit: totus demum calvus lacerque pessumdatur. Intus sphaerulae vel inanes vel pulvisculo subtili *albo* semiplenae reperiuntur. Sparsae vel subgregariae, mox minores globosae (*α*, *β*,) mox majores ovatae, imo subteretes (*γγ*,), nascuntur imbribus praeviis ex herbarum stipitibus, stipulis inprimis graminum siccis, tectorum stramine etc.: *β*, parcior, *α*, et *γγ*, neutiquam rarae. Autumno tardo et praesertim vere.

133. S. Dematium.

α, herbicola

ββ, epixyla

Pili rigidi, aeque fragiles ac in praecedente: hinc saepenumero dimidiati, varie contriti, dein toti evanidi, *sphaerulâ* calvâ superstite. Congregata sparsaque vulgaris occurrit *α*, in caulibus aridis *Solani tuberosi* aliarumque herbarum — extus, ac post medullam collapsam etiam intus, ubi ab injuriis externis tuta, incolumis diutius asservatur. Sphaerulas vidimus inanes. Var. *γγ*, epixyla, ex epidermide erumpens, sparsa, major, globosa ovataque, intus nigrofarcta: pilorum ratione situque cum *α*, congruit. In ramulis mortuis *Tiliae* et *Cytisi Laburni* aliquoties observata Aprili, Maiò.

134. S. Himantia.

Iisdem cum antecedente locis, praesertim in *Solano*, haud adeo rara est species pulchella: at ob eximiam teneritatem detectu difficilior. *Pustularum* nimia minuties cultelli conamina recusat: ita et *fibrillulae* adeo sunt delicatae, ut merum pigmentum arbusculiforme primo obtutu facile mentiantur. Autumno.

135. S. epigaea.

Crusta pallide lutescit vel virescit, *spaerulis* nigris planiusculis sparsis punctata. In terrestribus umbrosis limosis circa *Herrnhut* frequens; propior nondum nobis visa. Aprili.

136. S. Aegopodii.

α, vulgaris

Sphaerulas violaceo-nigras modo in hâc, modo in illâ folii paginâ farinam suam expellentes, nonnullas etiam poro distincto pertusas vidimus: perscissae aliae gelatinâ turgentes, vacuae aliae conspectae. In *Podagrariâ* epiphylla ubique frequens. Aestate, autumno.

137. S. Dianthi NOBIS. Tab. VI. f. 2.

S. (simplex astoma) sphaerulis nigris, disco collapsis pallidis, maculae luteae crustaeformi sparsim insidentibus.

Macula in fungillo vegeto vivide plerumque lutea, in senili sordidior evadit, in aurantium simul ochreumve colorem vergens: subrotunda diametro 3/6 linearum, etiam oblonga. Conspersa est *sphaerulis* exiguis globoso-depressis nigris, sed in vertice (quem haud raro cirrhulo e mucilagine rigefactâ albo-flavente coronatum conspeximus) minus magisve pallentibus, dein collapsis; intus albido-farctis. — Frequens in hortis eorumque rejectamentis folia calycesve *Dianthi Caryophylli* marcidos aut prorsus arefactos semiputres incolit. Octobri, Novembri.

138. S. maculiformis.

α, aggregata

ββ, crustacea

α, in foliis *Betulae*, *Fagi*, *Platani* etc. etiam *Quercûs*, copiose passim obviam, quamvis minutissimam, semel tamen bisve secare ac intus cavam contemplari contigit. Arcte quidem saepe conglomerata est: sed vel tum ab eâ discrepat *ββ*, *crustâ* nigrâ substromaticâ, illi fere, quae est in *S. graminis*, aequiparandâ; quâ circumfusae connexaeque prostant *sphaerulae* eminentes, subglobosae, majores, nitidiusculae, farctae, villo albo (lanâne seminiferâ? an bysso?) tempore vernali nonnumquam coronatae. — In foliis arboreis (*Betulae* hactenus *Prunique Padi*) et haec crescit, sed rarior: frequentior obvenit epiphylla in herbis variis, *Senecione saracenico*, *Urticâ dioicâ*, aliisque. Autumno serotino et vere.

139. S. punctiformis.

α, sparsa

γ, ambigua

Var. *α*, sparsa subgregariaque, in foliis aridis quercinis vulgaris; praeterea etiam in *Rubo fruticoso*, *Oxyacanthâ*, *Salice Capreâ* (ubi *ostiolo* quodam exili instructam videre nobis visi sumus) et *Pteride Aquilinâ* passim reperta epiphylla. Var. *γ*, loco suo abundantissima. Utraque perennis.

140. S. Pustula.

In foliis quercinis dejectis siccis ubique fere frequens. Praesertim vere.

Tab. II. f. 1. 141. S. atrovirens NOBIS.

S. (simplex astoma) in quincuncem sparsa e viridi nigricans, sphaerulis majusculis immersis globosis ovatisque, vertice subdepresso ruguloso cirrhifero, demum irregulariter rimis transversalibus rupto.

α, *Visci*

β, *Buxi*

Var. *α*, *Visci albi* praeprimis folia, dum colorem suum languescentia magis magisque in luteum mutant, satis regulariter quincuncialis — saepe tamen caulem quoque ac petiolos, confertior et magis anomala, longe lateque undique obtegit. Primordialis tota immersa est, vertice vixdum eminulo, admodum mollis, muco semineo immaturo dilute fuliginoso turgens: dein maturescens sensim assurgit (ad dimidium tamen usque vix unquam emergens) extusque et intus e viridi-fuligineo intensius nigrescit: paullo post, temestate humidâ favente, fructifera deprehenditur, *cirrhulos* nempe sphaerulâ suâ triplo vel quadruplo longiores, simplices, tenues, asperos, dilutius opaciusve sordide virentes, dein marcidos, saepe deorsum super verticibus in acervulos, qui ostiola mentiuntur, considentes, decumbentes, inque pulverem fatiscentes, apice pertuso propulsans: in consenescente porro vertex jamjam evidentius corru-

gatus, bysso albidâ saepiuscule obsitus, varie demum lacer sphaerulam, tum temporis vel vacuam, vel gelatinae expallidae reliquias siccas contractasque continentem, aperit. *Namaesporis* speciem memorabilem ob cirrhulos supra descriptos accensere in animo erat: sed augmenta microscopii compositi gigantea, massam spermaticam *thecigeram* luculenter monstrantia, inde nos revocarunt — etiamsi *thecae*, prout a priori (ut ajunt) in specie adeo abnormi expectari par erat, a congenerum more non parum recederent: magnae pro ratione, ellipticae, compressae, mox striâ longitudinali, mox utriusque apicis pliculâ transversali insignitae, *sporulas* nonnisi indistinctas dubiasque includentes. Frequens haec loco suo Aprili, Maio: ei simillima β, viridula, massâ intus paullo solidiore albido-virente farcta, epidermidem substellatim rumpens, in foliis *Buxi* emortuis aliquoties reperta fuit Maio, Junio.

142. S. Pteridis NOBIS. Tab. X. f. 5.

S. (simplex astoma) magna sparsa subtuberculosa e badio fusca, primum globoso-depressa, dein obconica simulque collabescendo-obcordata.

Sphaeriisne an *Sclerotiis* dubii generis fungillus adnumerandus sit? ambigui etiamnum haeremus: sed primo inventionis momento exempla nonnulla *globulo spermatico* albido fugacissimo coronata observare nobis visi, huc eum tantisper adscripsimus. Diameter fungi adulti lineam paene adaequat, altitudo sesquilineam. Junior globoso-depressus est, vertice planiusculo: in formam dein obconicam crescens aliquantum collabitur. Cavus tum quidem perscissus cernitur, at simul materie inter cavitatem corticemque durum albâ molliusculâ similari farctus: nec cavitas satis perfecta ac genuine sphaerioidea apparuit. Dolendum omnino, specimina nimis parca

ad manus fuisse; quae in foliis *Pteridis* humi prostratis obtectis a nive vixdum solutâ putrefactis semel legimus (*Moholzer Haide*) ineunte Aprili.

143. S. Acrospermum.

α, nigra

Recedit quidem aliquatenus nostra a *Todeanâ;* vix tamen eousque, ut varietate, nedum specie, disjungenda videatur. *Statura* ½/1 lineae. Laevis est, sparsa, nigra, ne sub lente quidem fuscescens: at *macula* illa atramentosa, lignum circa sphaerulam singulam plerumque tingens, colorem prodit aperte fuscum. *Forma* inter cylindricam et obovatam per varios vacillat gradus: in plurimis tamen e tereti sursum subventricosa iconem *Todeanam* exacte assequitur. *Apex* astomus parabolicus nitet, utplurimum imperforatus: in nonnullis tamen distincte vidimus pertusum, in paucis etiam *globulo* parvo sordide flavicante luculenter coronatum. Contra nec strigositatis nec pulvisculi vestigium animadvertimus ullum. *Sphaerulae* aliae inanes, aliae mucilagine suâ plenae. Affatim discrepat a *S. Bombardâ* papillâ nullâ; gelatinâ in globulos indurascente, nec in farinam illico solutâ; praeterea situ, colore, staturâ. Unâ tantum vice habuimus speciem raram, sed perfectam satisque frequentem, in ligno *Pini piceae* nudo (*Polsbruch*), Maio.

144. S. cylindrica.

Nitidula species. *Apex* obtusissimus, subtruncatus. *Globulus* albus plerumque exacte sphaericus, interdum plus minus difformis. In lignis praesertim *pineis* et *abietinis* dejectis madidis putridissimis passim frequens. Omni anni tempore.

145. S. dubia *Tode.*

Cf. *Tode fung. mekl.* II. p. 45. *Globulus* in nostris sphaerulae apicem aliquanto magis, ac in figurâ *Todeanâ*,

diametro superat: unde aciculae punctoriae ligno altius infixae haud inepte aequiparandus fungillus noster (quem, icone descriptioneque ceteroquin congruentissimâ, cum allegato unum eundemque esse nulli prorsus dubitamus) nomen sibi forsan in posterum *S. Aciculae* vindicabit. Sphaeriarum enim generi speciem, manifestâ cum globiferis reliquis affinitate conjunctam, associandam esse, parum haesitanter pronunciamus: praesertim cum aetate provectior colorem illum griseum etc. semipellucidum a b. *Tode* descriptum e generis more cum nigro opaco, nec amplius translucente, permutet, nobisque pulvisculi globum obducentis per examina repetita ne hilum quidem detegere licuerit. Locis prorsus iisdem cum antecedente aliquoties lecta Maio, Junio.

146. S. hemisphaerica nobis. T. VIII. f. 8.
S. simplex globifera sparsa laevis depressa hemisphaerica vel hemi-ellipsoidea nigra; globulo spermatico albo sublivescente.

Cum *S. parabolicâ* hanc conjunxissemus, ni *forma* depressa, pulvinata, mox hemisphaerio, mox hemi-ellipsoidi propinqua, in millibus exemplarium constantissima, vetuisset. *Globulus* plerumque admodum regularis postquam demum decidit, capsula hemisphaerica *poro*, hemi-ellipsoidea *rimulâ* rectâ perforata distincte cernitur; scalpelli ceterum acie, prout in hisce fungillis solemne est, multo minor. — In ligno *Fagi* decorticato durissimo satis dense sparsa, in quincuncem subdisposita; semel, sed abundans, inventa (*Arnsdorfer Berge*) Aprili.

147. S. conica.
Tomentum parciusculum lividum saepe, sed non semper, adest. *Sphaerulae* superficies subtuberculosa. *Globulus* spermaticus, dum recens est, colore flavovirente indu-

tus, fuligineus dein sensim factus, demum atrescit; formâ variat globosâ ac ovali. Speciem hanc mox sparsim, mox agminatim crescentem, e ramorum mortuorum, siccorum aeque ac humentium, epidermide erumpentem vidimus in *Pruno Pado* (*Monplaisir*) rariorem, in *Sorbo Aucupariâ* (*verlorenes Wasser*) frequentem, arbusculam fere totam occupantem. Maio.

148. S. subulata.

α, lutescens

Globulus, quem nos hactenus nonnisi ovalem vidimus, limpidus, reliquo fungo pellucidior dilutiusque coloratus, haud adeo frequens deprehenditur: facile enim deciduus *sphaerulae* apicem subulatum, rectum vel incurviusculum, nudum saepenumero relinquit. In *Agaricis* post putredinem induratis ubique, vulgatissima species. Autumno, hyeme, vere.

Tab. IX. f. 3. 149. S. versiformis NOBIS.

S. (astoma) simplex caespitosaque, globifera, nigricans; primo clausa sphaerioidea polymorpha, dein disco aperto pezizoidea.

Peziza alnea *Pers. Synops.* II. p. 673?

E formâ primordiali subglobosâ ubi in obconicam aut teretiusculam assurrexere *sphaerulae*, verticaliter ad amussim sectae deorsum solidas massâ ceraceâ molli fuliginosâ farctas, sursum cavas mucilagine fluxili scatentes sese monstrant. Paullo post apice rupto *globulum spermaticum* edunt mollem gelatinosum ex albo liventem subirregularem, nonnumquam adeo anomalum, ut *cirrhulus* potius audire possit, vel coelo nimis madido diffluentem, vel indurascentem citoque deciduum. Sphaerulâ interea, praesertim superiora versus, crescere ac dilatari pergente, vertice jam ante aperto ita magis magisque dehiscente, ut orificii margo undique retrocedens

totus fere tandem applanatus subevanescat, discus sensim planiusculus parum marginatus efformatur. Quâ metamorphosi peractâ, fungus noster induratus ac totus solidus, e livido-fuligineo nigricans, diu persistit: *Pezizae* jam alicujus coriaceae durae crasse stipitatae, obsolete marginatae etc. imitator adeo fallax, ut *P. alneam Pers.* Synonymi dubii in locum subjungere necessarium duxerimus. — Quanto ceterum jure in limine generis posita sit haec species, facile patet: historia enim ejus fere tota est *Thelebolorum*, quibus olim, rite sane augurante b. *Tode*, haud paucae Pezizulae Sphaeriolaeque accuratius investigatae accensebuntur: cf. *fung. mekl.* I, p. 42. In re tamen ancipite globulus iners subsultum denegans, unâ cum habitu ac colore, nos induxit, ut fungum nóstrum Sphaeriarum generi subnecteremus. — Ramos totos gregarius occupat *Alni Rhamni*que *Frangulae*, laete vigens tempestate pluviâ. Aprili, Maio.

2. STILBOSPORA.

150. S. asterosperma.

Stellae mox bi- mox tricuspides. In ramis hinc inde, rarior tamen apud nos reliquis speciebus. Praesertim vernalis.

151. S. ovata.

Sporulae pro generis ratione magnae, nigrae, glabrae, septulis destitutae, formâ cum icone *Persoonianâ* exacte convenientes: at figura *Hoffmanniana* nonne aliorsum pertinet? — Crescit ad ligna sicca varia; aestate, autumno.

152. S. angustata.

Praeter ramos duros siccos haec in lignis quoque *abietinis pineis*que putrefactis humentibus frequens occurrit, glomeratim profluens. Autumno, vere.

153. S. microsperma.
Sporulae ovatae rotundaeque, subirregulares, omnium minutissimae. In *Fago*, *Taxo*, *Pino* etc. copiose. Perennis.

154. S. sphaerosperma.
In nonnullis hujus exemplaribus *sporulae*, lentis augentissimae ope lustratae, *filis* minutis parcis intertextae nobis (opticone errore deceptis?) apparuere. — Culmos *Phragmitidis* siccos non infrequens incolit. Perennis.

3. HYSTERIUM.

155. H. mytilinum.
Mytili cujusdam aliaeve conchae valvas ambas sibi incumbentes egregie refert. *Crusta*, alienigena forsan, haud raro deest. *Pedicellus* constans fungillum sustentat, etiamsi brevissimus saepe ac intra corticis fissuras aliasve quisquilias delitescens primo obtutu deficere videatur: est tamen etiam, quando paullo longior ac distincte prominulus in oculos statim incurrit. *Superficies* transversim concharum more elegantule striata, ceterum glabra. *Rimam* hiantem compluries vidimus: sed *interiora*, diverso vel coelo vel anni tempore saepenumero examinata, semper nobis aut cava, aut pulverem quemdam parcum coloris terreo-fusci foventia, in conspectum venere: unde dubia de fungilli genere haud spernenda moveri par est. — Hab. in cortice *abietino* vulgaris: rarior in *pineo*. Perennis.

156. H. globosum.
Greges satis conferti sunt, unde exempla 2/3 confluentia interdum observantur: quod ubi longitudinaliter fit, specimina existunt majora oblonga, quae per labiorum confluxum striata apparent. *Superficies* ceterum laevis:

forma globoso-depressa: *color* opacus, sordide niger. In ligno sicco *Taxi baccatae* (*Sohlander Berg*). Maio.

157. H. pulicare.

Rarius subsparsum; plerumque valde gregarium, in acervum aliquot unciarum quandoque confertum, situ indeterminato. Ad truncos, ramos *quercinos* frequens, vix alibi. Praesertim vernale.

158. H. angustatum.

Nimis forsan affine praecedenti, quamvis notis indicatis discrepet: hae enim vel minus constantes videntur, vel minus graves. Sic v. c. inter exempla plura angustata linearia nonnulla tamen etiam cernuntur minus angusta, breviora, subelliptica. *Situs* subsparsus, satis regularis: *superficies* parum striata. Corticum aridorum paginas amat interiores; hinc forte rarius hactenus observata. Nos certe satis frequentem habuimus in *Betulâ*, *Alno*, *Carpino*. Autumno et vere.

159. H. longum.

Ad lineas $1\frac{1}{2}$ — 2 elongatur; affinium omnino, at non totius generis, longissimum. In *Fago* decorticatâ (*Königsholz*). Aprili.

160. H. cinereum.

A sequente, licet propinquo, affatim differt formâ, colore, loco natali. Ligno semiimmersum, globoso-depressum, sparsum, parcum. Color in sicco rufocanus: in humectato nigricat. *Nucleus* molliusculus ceraceus albido-cinereus *perithecium* refercit fungi vigentis. Ad ramos *Salicis Capreae* deciduos passim. Maio, Junio.

161. H. Fraxini.

Coffeae fabam ustam formâ ellipticâ et colore quadantenus aemulatur. In *Fraxino* (*Cunnersdorf*) frequens. Aprili.

162. H. Rubi.

α, nudum

ββ, crustaceum

Fungus primitivus totus est immersus, lucidus, applanatus, clausus; primordia tamen labiorum in nonnullis jam cernuntur. *Formâ* tum temporis quandoque gaudet ellipticâ (utrinque obtusâ), imo subrotundâ; quam tamen in adultis numquam observavimus. *Superficies* glabra, rarius sparsim tuberculosa, bullulis quasi adspersa. *Interiora* pulvere demum griseo - terreo repleta sunt, qui paullo post, labio utroque diffracto ac perdito, in ventorum ludibrium cedens maculam concolorem diu superstitem relinquit. Vulgaris ubique occurrit *α*, in ramis vetustis semiputribus *R. fruticosi:* in *Rubo idaeo* parcior, paullo major, subflexuosa. In *ββ*, aliquanto minore individua aliquot (3/6 fere) per maculam communem albam crustaceam circumscriptam subrotundam vel oblongam, tandem obliteratam, situ parallelo sparsa: sed reliqua omnia cum *α*, conveniunt. Crescit haec in ramulis variis (*Salicis albae*, *Vitis viniferae*, *Vaccinii Myrtilli*) emortuis, non infrequens. — Autumno, sed inprimis vere.

163. H. quercinum.

Rarius rectum. Tempore vernali humido laete vigens rimâque amplissimâ dehiscens *nucleum* denudat ex albo cinerascentem substantiae in genere nostro indigenae ceraceae mollis. Loco suo abundans, perenne.

164. H. abietinum.

ββ, Ledi

Coloris rufescentis nil umquam in fungo nostro detegere potuimus; inde ac ob loci natalis discrepantiam varietatis in loco eum proponimus. Sparsus vel confertus, rectus, rarius subflexuosus, situ exacte parallelo crum-

pens, angustus, sublinearis, ad 3/4 lineas haud raro elongatus. Specimina effoeta nucleo penitus amisso vacua, patentia, cymbarum longiorum angustiorumque ad instar aliquamdiu persistunt. In caulibus ramisque siccis *Ledi palustris* passim. Aprili, Maio.

165. H. crispum.

Staturâ admodum variat. In ligno etiam decorticato nudiusculum interdum prostat. Occurrit in *Abiete* hinc inde, sed parum frequens. Vere, aestate.

166. H. conigenum.

α, rimosum

ββ, ostiolatum

Primordiale totum molle, virescente - fuligineum. In adulto *nucleum* quemdam album firmiusculum semel vel bis deprehendere contigit. Junius plerumque plus minus ovatum est, centro saepe subdepressum; dein in striae formam magis elongatur, rimamque, sed rarius satis distinctam, acquirit. Est ceterum e maxime polymorphis: ex innumeris fere, quibus ludit, varietatibus unicam sub ββ, insignire operae pretium duximus, orbicularem, planiusculam, atro - nitentem, *ostiolo* centrali parvulo subconico, *spurio* procul dubio (totum enim clausum erat, nec gelatinae vestigia ulla exstabant), instructam; ita de reliquo in var. vulgarem transeuntem, ut limites certi nuspiam inveniri possent. — Species loco suo vulgatissima. Perennis.

167. H. sphaerioides NOBIS. Tab. X. f. 8.

H. sparsum nudum hemisphaericum nitidum nigrum, ore duplici demum hiante late elliptico.

Statura parvula, sequentis fere speciei. *Forma* prorsus sphaerioidea, rarius subhemiellipsoidea. Fungillus in aetate infantili totus clausus nitens maculam refert uniformem subrotundam: in adultioribus *rimâ* jamjam

conspicuus fit longitudinali, quae ingruente fructescentiae tempore in *os* late ellipticum vel suborbiculare dehiscit *duplex. Corticem* enim *duplicem* haec species privum sibi habet, a nobis saltem in nullâ aliâ hactenus observatum; *exteriorem* nitentem nigrum, *interiorem* sordidum dilutiorem fuligineo-nigricantem: unde, illo paullo latius quam hoc concentrice hiante, labia orificii utrinque duplicata luculenter cernuntur. Intus exempla alia substantiâ suâ molli notâ albidâ semiplena, alia fructificatione peractâ inania reperimus. Specimina omnium aetatum haud infrequentia in foliis deciduis obtectis vetustis putribus *Ledi palustris* (*faule Brücken*) semel lecta. Exeunte Maio.

168. H. pinastri.

α, sparsum

β, limitatum

Species, si quae aliâ, certa generis civis, *perithecio verissimo* instructa, quod clausum, dein rimâ suâ pertusum, postea ore lato dehiscens, demum totum evacuatum — sexcenties observavimus. In quo saepe peculiari sane ratione *nucleus* (solitae ceterum materiei colorisque), vi vitali praecellente turgens, non solum *labia* disturbando *discum* sibi *fructificantem* amplissimum aperit, verum et *basin* undique regularissime scalpello veluti acuto circumscindens totus tandem denudatus prostat: perithecium nimirum dimidiatum, postquam laxe aliquamdiu fungillo incubuit, prorsus jam solutum ac deciduum elytrum quoddam insecti coleopteri minuti nigri solitarium amissum hinc illinc haud inepte imitatur. — Variat staturâ; etiam formâ vel exacte ellipticâ, vel magis oblongâ utrinque acutiusculâ. Abundantissima var. utraque in acubus *Pinorum* — *Abietis*, ubi major est et perfectior, *sylvestris*, *Strobi*. Perennis: viget vere pluvio.

169. H. arundinaceum.
Huic *perithecium* dubium esse, non possumus, quin cl. *Persoonio* assentiamur. Immersum est vel subprominulum: centro nigricans, margine fuscescens vel in ferrugineum subvergens. In *Phragmitidis* culmis aridis passim. Perenne.

OBS. Duae supersunt species, quae novae videntur, quas vero nondum satis exploratas in civitatem hactenus non admisimus. Has ex eo, quod in praefamine exposuimus, instituto ad generis calcem subjectas ulteriori mycophilorum indagini commendatas velimus.

a. *H. viride.* H. nudum (non erumpens) semiimmersum sparsum oblongum subflexuosum, extus nigrum, intus (labiis dehiscentibus) viride. Parvum, lineam 1 longum, vix semilineam latum. In ligno semiputri *quercino*, ut videbatur (*Mayblumenbusch*). Exeunte Martio.

b. *H. petiolare.* H. simplicissimum immersum ellipticum sordide nigrum. Simile *H. arundinaceo*, sed mixturae fuscae vel ferrugineae prorsus expers, omnique perithecio, ut videtur, destitutum. Forsan vel ad *Stilbosporas* aliquando ablegabitur, vel ex totâ fungorum classe exulabit. In petiolis nervisque foliorum *Aceris Pseudoplatani* semiputrium dejectorum (*Moholzer Haide*) non infrequens. Aprili, Maio.

4. XYLOMA.

A. EPIXYLA.

OBS. Novam ecce introducimus familiam, praecedenti generi contiguam, iterque eo pandentem. Situ videlicet epixylo cum *Hysteriis* convenit: at charactere longe potiore, ad fructificationem spectante, eoque

unico inter utrumque genus vere et constanter distinctivo, apud *Xylomata* jus civitatis obtinet; corticis nimirum per fissuras varias anomalas, nec rimam unicam longitudinalem regularem, diruptione. Alterum enim characterem, a substantiâ nuclei illic molliore quasi ceraceâ, hic firmiore paene carnosâ suppeditatum, parum universalem stabilemque esse, exemplis compluribus infra docebimur.

Tab. IX. 170. X. Ledi NOBIS.

f. 1. *X. sparsum erumpens pusillum hemisphaericum vel hemiellipsoideum, cortice opaco fusco-nigricante, in lacinias deinde varias circa nucleum subtremellosum dilute violaceum erectas dehiscente.*

Statura minuta, lineae vix unius. *Forma* orbicularis vel elliptica, etiam subanomala. *Cortex* durus, rigidus, laeviusculus (per lentem rugulosus), siccus nigrescens, humectatus ferrugineo-fuscus — subcircumscissus interdum parte superiore orbatus, ac ita *discum* nuclei *fructificantem* denudat; sed utplurimum e centro communi irregulariter fissus in lacinias saepe triangulares subaequales, attamen nonnumquam etiam quadratas, difformes etc., in marginem erectum dispositas, hiat. *Nucleus* eleganter purpureo-violascens, mollissimus, ad substantiam tremellosam prope accedit; exsiccatus enim contrahitur et nigricat: aquâ refectus illico reviviscens colorem pristinum volumenque resumit. — Provenit fungillus memorabilis in *Ledi palustris* ramulis aridis hinc inde: Aprili, jam effoetus Maio.

Tab. V. 171. X. Pini NOBIS.

f. 8. *X. subgregarium erumpens mediocre pulvinatum vel conico-truncatum, cortice glabro atro varie hiante, nucleo firmo carnoso albo, disco molliore fuligineo.*

Saepe satis confertum crescit, exemplis aliquot pas-

sim confluentibus: at et subsparsum invenimus. *Diameter* 1/2½ linearum fere. *Forma* orbicularis aut oblonga; vel pulvinata, vel conico-decurtata, truncaturae tum disco saepe concaviusculo ac quodammodo marginato: *altitudo* in majoribus linearis, vix ultra. *Cortex* firmus, crassiusculus, rigidus, ater, in speciminibus perfectis vegetis aterrimus lucidus: anomale dehiscit, laciniis durante fructificatione, more prorsus antecedentis, erectis nucleumque cingentibus — at illâ peractâ iterum collapsis discumque denuo occludentibus. Quodsi idem in ipso fructescentiae actu per meram exsiccationem evenerit, fungo aquâ recreato in priorem statum omnia cito restituuntur. *Nuclei* stratum inferius duriusculum, carnosum ferme, album, nonnumquam cinerascens; superius (*discus fructificans*) molle ceraceum fuliginoso-nigricans. Totius demum nuclei in fungo etiam prorsus exoleto reliquiae albidae exsiccatae contractae a cortice solutae supersunt. In cortice *pineo* abunde habitat, perennis: vigentem vidimus coelo pluvio, Octobri.

OBS. Alias quoque praeter hasce, Sectionem nostram aliquando ornaturas, sed adhuc nimis ambiguas, species nonnullas observavimus; quarum insigniores duas apponere lubet.

a. *X. rhombeum.* X. nudum tenue planum marginatum rhombeum vel subrotundum nigrum. Totum clausum, *margine* prominulo distincto ac constante cinctum. *Forma* vel rhombea, vel angulis rotundatis suborbicularis. *Substantia* molliuscula alba. Exempla nimis parca fuisse ac imperfecta admodum dolemus: in ligno *alneo* projecto putrescente semel lecta (*Bihaner Bruch*): medio Aprili.

b. *X. cinereum.* X. erumpens teres molle nigrum, disco concavo marginato, margine crispo subcrenato

cinereo-pulverulento. Altitudine latitudinem aequante, lineae unius fere. Clausum, intus *nigro*-farctum. Specimina immatura fuisse videntur, in ramis emortuis *Populi nigrae italicae* (*Monplaisir*) sparsa; item Aprili.

B. EPIPHYLLA.

a) *Majora.*

172. X. salicinum.

α, tuberculosum

β, umbonatum

Specimina et nos passim invenimus umbone unico centrali latiusculo supra applanato instructa, sed reliquis haud ita multo minora, ac vix nisi pro varietate habenda: an igitur eadem cum *Persoonianis?* Utriusque var. exempla 3—4 in uno eodemque folio haud raro nobis visa. Crescit haec species loco suo frequens, per totum fere annum: sed vigentem, per rimas corticis in scuta irregularia rupti copiose fumantem, nonnisi semel deprehendimus, Maio pluvio.

173. X. Andromedae.

Primordiale maculas sistit e rubro purpurascentes: quibus prorsus similes in *Vaccinii vitis idaeae* et *Arbuti uvae ursi* foliis perfrequenter provenientes fungorum forsitan affinium sunt incunabula. Maculae istae aetate progrediente fuscescentes simulque paullatim crassescentes *nucleo* suo farciuntur, qui haud ita multo post, cortice jam atrefacto per rimas anomalas undique dissiliente, semidenudatus visum subit. Ejus stratum *inferius* firmum carnosum candidum: *superius*, sementivum procul dubio, cinereo-fuliginosum viscidum lentum in fila tenuia, fungo transversim rupto frustisque ejus separatis, glutinis ad instar protractum vidimus. Massa tamen

haec viscosa, augmentis licet microscopii compositi summis perlustrata, prorsus amorpham sese exhibuit, nec thecarum sporarumve nudarum vestigium ullum monstravit; quod immaturitati ejus imputandum esse videtur. In prorsus maturato enim fungo semina demum perfici, simulque per glutinis exsiccationem liberata in aërem fumando avolare, e speciei praecedentis analogiâ vero haud absimile est. — Loco suo copiose. Perennat: viget Maio, Junio: aestate et autumno in senescente corticis frusta scutiformia, admodum demum friabilia, dilapsa pereunt: nucleus, ut in *X. Pini*, exsiccatus contrahitur.

174. X. acerinum.

ββ, betulinum

Maculaeforme tenue applanatum laeve. *Maculae* nigrae difformes 3—4 linearum, subrotundae vel oblongae, sparsae, parcae, vix rugosae, planissimae, folio suo parum crassiores, satis opacae, substantiâ intus albâ duriusculâ farctae. Discrimina, inter hanc et var. *α*, intercedentia, parvi sane momenti esse, nec ad speciem separandam sufficere videntur. Initia ejus in foliis betulinis projectis siccis passim occurrunt; sed specimina perfecta admodum rara semel tantum lecta fuere (*Arnsdorfer Berge*), medio Aprili.

175. X. punctatum.

Maculae semunciales et ultra, atrae, formâ variae, plerumque tamen subrotundae; quarum *superficies* praeter puncta vel tubercula prominula colliculis etiam applanatis, oblongis, flexuosis, rugis plicisve interstinctis, utplurimum insignita cernitur: in frustula demum per fissuras varias dilapsam aliquoties invenimus. Frequens occupat folia arida decidua *Aceris Pseudoplatani*, nec alia. Autumno, vere: exoletum aestate.

176. X. stellare.

Omnium tenuissimum: adeo, ut substantia vix ulla dignosci possit. Cum itaque porro in exemplis perfectioribus superficiem punctulis prominulis sphaerioideis, exiguis quidem, at distinctis, centralibus conspersam saepius viderimus, quaestio inde oritur, anne haec species ad *Sphaerias* releganda, ac in viciniâ *S. Himantiae* collocanda sit? Superficie ceterum mox-laevi, mox rugulosâ, non folia tantum semimarcida *Phyteumatis spicati* frequens incolit, verum et petiolos pedunculosque interdum ambit — locis dumosis umbrosis (inter *Rengersdorf* et *Cunnersdorf*). Julio.

177. X. rubrum.

Pustulae illae obscuriores, a cel. *Persoon* indicatae, copiose observabiles, *Aecidii* peridiis immaturis necdum apertis minime absimiles, suspicioni, fungum nostrum illuc amandandum esse, haud parum inserviunt. Est e maxime trivialibus, *Prunum* praesertim *domesticam*, *insititiam*, earumque varr. pessime infestans. Autumno.

Tab. VII 178. X. nervale NOBIS.

f. 7. *X. nervisequum semiteres lineariter elongatum crassiusculum subrugosum nigrum, substantiâ durâ albidâ.*

Longitudo speciei admodum notabilis 1/2uncialis fere: crassities lineae unius. Nervi principis, in folii paginâ aversâ prominuli, eiusque ramorum primariorum fidissima est comes; quibus semiorbiculariter, pilis epiphyllis hinc inde, sed rarius, transcrescentibus, circumfusa, at in parte folii superâ nullatenus eminens, in formam cylindri secus axin dimidiati producitur. Specimina nervum principalem cingentia cum ramisequis frequenter confluunt: substantia tum fungi attenuata, cortice suo nigro vestita, axillarum interjacentium latera acutangula per confluxum ad latitudinem 1/2 linearum occu-

pare solet. *Cortex* inde a primordiis rugulosus valde demum corrugatur; rimosum tamen apertumve ne in vetustissimis quidem exemplis hactenus offendimus. Hinc et ob *substantiam* (albam, dein sordide pallentem) firmam carnosam *Sclerotiis* propior fungus noster, habitu contra, formâ, effusione, intimâque praeprimis nec unquam solubili in matricem suam insitione *Xylomatibus* aggruus, inter utrunque genus medius ita prostat, ut, quorsum pertineat, difficillimum utique sit definitu. Nequaquam infrequens locis opacis udis umbrosis folia decidua obtecta putredine semi-exesa sicca *alnea*, rarius *betulina*, incolit (*Moholzer Haide* hinc inde). Vere praesertim et aestate.

b) *M i n o r a.*

179. X. herbarum NOBIS. Tab. IV. f. 6.

X. confertum orbiculare vel subdifforme molliusculum viridi-pallens, demum nigrum apertum: corticis margine inflexo repando subalbicante, nuclei disco fuligineo.

E statu primitivo minuto punctiformi molli tremelloso in *staturam* mediocrem, sequentis fere speciei, adolescens paullatim simul consolidatur: *colore* etiam pallido, cum herbae virore mixto, fuligine quasi afflato ac ita sensim nigrescente. *Cortex* dein, ubi totus jam niger affatim induruit, anomale dehiscens orâ introflexâ obtusissime laciniatâ vel repandâ pallidiore, veluti margine, circumdat *nucleum* coloris obscuri fuliginosi, substantiae persistenter molliusculae. Commilito sane est familiae pezizoideae ejusdem, cui sequentes quoque duae species adnumerandae sunt: a quibus tamen quantum differat, vix monitu opus esse videtur. Agmine denso caules petiolosque, rariore folia — occupat plantarum virentium imo florentium! quarum vigori detrimenti nil

inferre videtur; et quidem variarum forsan. Nos saltem fungum bis modo inventum in herbis admodum heterogeneis, *Cerastio vulgato* et *Potentillâ norvegicâ*, offendimus. Junio.

180. X. pezizoides.

Nucleus in hâc specie colorem pallidum subcinerascentem mollitiemque simul ceraceam *Hysteriis* solemnem prae se fert. Frequentiorem nos propemodum ac perfectiorem per omnes aetatis vicissitudines in foliis vetustissimis exesis *fagineis*, quam *quercinis*, habuimus: autumno, exoletam vere.

181. X. sphaerioides.

Minime rarum in *Capreae* foliis emortuis: at propter minutiem paene microscopicam latebrae ejus intra folii hirsutiem difficilius investigantur. Egregie patulum observatum coelo pluvio, Maio.

182. X. salignum.

Exempla juniora pallida: maturescentia dein per fuligineum colorem in nigrum abeunt. *Substantiâ* intus farcta sunt satis firmâ subcarnosâ albidâ. Hab. loco suo passim frequens. Autumno, vere.

183. X. populinum.

Planissimum, tenue, folio suo vix crassius: intus, sicut praecedens, albo-farctum. In foliis Populi tremulae aridis deciduis passim, non infrequens. Apr. Mai.

184. X. fagineum.

Praeter folia *faginea*, quae copiose colit, in *pyrinis* quoque sylvestribus rarius lectum. Perenne.

185. X. alneum.

α, *alneum*

ββ, *betulinum*

Var. *α*, cum praecedente specie nimis affini, a quâ vix nisi situ sparso parco, superficie opaciore locoque na-

tali discrepat, varietatis in loco conjungenda nobis videtur. Speciem contra propriam *ββ*, nostra forsitan efficere poterit: praeter plicam enim unicam marginalem annularem plerumque exacte orbicularem laeviuscula est, parum saltem plicata; porro *ostiolo* quodam *spurio?* tuberculo nimirum subcentrali (in *α*, quidem ac *X. fagineo* etiam passim, sed minus distincte, obvio) instructa, quod semel pertusum, ni fallacia subfuit optica, sicut fungillum ipsum inanem, vidimus. Num ad *Sphaerias* unâ cum cognatis modo dictis translocanda? in re impeditâ nil definimus. In foliis dejectis siccis *α*, *alneis*, *ββ*, *betulinis:* parcior utraque, locis opacis umbrosis (*Moholzer Haide*). Aprili, Maio.

5. NAEMASPORA.

a) *Sphaerioideae.*

186. N. chrysosperma.

Frequens in lignis *populneis*, *alneis* etc.: etiam in sarmentis *Vitis viniferae* demortuis obvia. Perennis pro generis more: tempore pluvio quocunque cirrhos promens.

187. N. leucosperma.

Truncis haec laetari videtur compagis durioris: in *Ulmo campestri*, *Carpino* etc. praesertim a nobis observata.

b) *Amorphae.*

188. N. crocea.

Ligna praeprimis *betulina* hâc onusta inveniuntur in regionibus nostris. Autumno sero.

189. N. populina.

Tuberculum amorphum magnum crassum, fibris ligneis intertextum, molliusculum, e viridi nigricans — *cirrhos*

edit plerumque crebros, saepe longissimos. In *Populo* dejectâ (*ad Neissam*) Aprili.

6. TUBERCULARIA.

Tab. V. f. 6. 190. T. **ciliata** NOBIS.

T. erumpens sparsa substipitata, receptaculo margine albo-ciliato, capitulo laevi globoso ovatoque candido, demum dilute roseo.

Totus fungillus minutus, lineam diametro vix aequans. *Stipes* pallidus, subfuscus, intra corticis saepe fissuras fere totus absconditus, semper tamen praesens, mox brevissimus crassior, mox mediocris ac tenuiusculus — in *receptaculum* sursum dilatatur discoideum concaviusculum submembranaceum orbiculare album, ciliis longissimis concoloribus, dein subrubelle micantibus, marginatum. *Cilia* haec, toto fungillo longiora, recta sunt vel rarius subflexuosa, parallela, vix divaricata, erecta aut semipatula, per unicam plerumque, sed satis densam, seriem circa marginem disposita, rigidiuscula quidem, at non setosa. Receptaculo porro medio impositum est *capitulum* formae mox ovato-oblongae, mox globosae, mox inter utramque per varios gradus ludentis, nonnunquam subgibbosae — substantiae compactae solidae, ejus fere, quae in *T. vulgari* prostat — coloris e candidissimo in amoene diluteque roseum sensim abeuntis — superficiei laevis. Demum, a pluviis forsan ablutum, totum perit, ut in exemplis vetustis discus nudus, plerumque tum distortus, ciliis suis persistenter fimbriatus supersit. Erumpit species elegantissima ex epidermide fruticis cujusdam hortensis scansorii semiputris nec amplius dignoscendi (an *Hederae Helicis?*) inter rejectamenta hinc inde, sparsa. Aestate et autumno.

191. T. vulgaris.

Vulgatissima species, in ramulis lignisque omnis generis abundans. Perennis.

192. T. granulata.

Granula superficiei *Sphaeriam* quandam periphericam mentiuntur. In ligno arido *tiliaceo* a nobis inventa, parcior. Hyeme.

193. T. rosea.

α, rosea

β, carnea

Loco indicato var. *α*, frequentior; *β*, rarior. Perennis: inprimis autumnalis.

OBS. Cohors specierum novarum, in quarum nonnullas incidimus, minime contemnenda futuros mycologorum labores exspectare videtur: sed in genere parum hactenus firmo ac definito speciebus augendo circumspecto utique tardoque pede procedendum erit. Sic e. g. obvenit nobis

a. *T. saligna.* T. parva subrotunda varie confluens, extus sordide fulva, intus aurea. Unâ tantum vice inventa in ramis emortuis semiputridis *salignis* (*Diehsa*). Junio.

b. *T. bicolor.* T. stipitata simplex ramosaque, stipite crasso aureo-rutilo, capitulis albis molliusculis. *Statura* 2 — 3 linearum: *situs* utplurimum caespitosus. In ramis amputatis inter rejectamenta horti (*Mückenhaynensis*), tempestate pluviâ. Junio.

ORDO II.

SARCOCARPI.

7. SPHAEROBOLUS.

194. S. stellatus.
Fungus locis putridis vulgatus, *staturâ* variabilis, sed *formâ* constans, praeter ligna alias etiam quisquilias varias epigaeas occupat: ita v. c. praegrandem in *amentis populinis* dejectis putrefactis vidimus etc. Aestate et autumno.

OBS. Fungillum memoratu dignissimum, sed semel modo parciusque, quam ut certi quid de eo statui possit, repertum — hûc tantisper adducimus. Esto

S. Solen. S. e cylindrico obovatus, extus villosus, candidus, ad tactum cruentatus: ore demum aperto subradiato. — Margo in junioribus inflexus massae incumbebat fungilli cavitatem explenti subcarnosae semipellucenti albidae, *vesiculam* antecedentis speciei etiamnum demersam non male referenti: verum protrusam hanc saltumque parantem conspicere non licuit. Os in senioribus patens, leviter substellatim fissum, interiora inania ostendebat. *Forma* Pezizae Soleniae cujusdam. In *Pino* (*Quolsdorf*) epixylum habuimus Junio.

8. THELEBOLUS.

195. T. stercoreus.
Minor. nudus, pilis baseos solitariis radiantibus matrici

affixus. Valde juvenis pallidissimus est, et pellucidus fere: inde ab aetate hâcce tenellâ mutationes fungilli a b. *Tode* fusius enarratas ad unam omnes vultu intento prosecutis ipsissimum tamen placentulae subsultum oculis usurpare non obtigit. In succerdâ locis humidis umbrosis jacente, et quidem tempore etiam sereno ac siccissimo, non infrequens coagminatus nidulatur: parcior in merdâ humanâ. Aug. Sept.

196. T. terrestris NOBIS. Tab. II. f. 4.

T. major, congestus, late effusus, tomento dense compexo crasso subiculari flavicanti insidens.

Convenit quidem cum praecedente formâ ac colore, in universum etiam historiâ, cui et in hâc specie per omnia vitae stadia indagandae prospero eventu operam navavimus: at specie tamen differt 1, ac praeprimis, *subiculo* modo indicato; 2, *staturâ* ultra duplum majore (diametro 2 lineas in perfectioribus aequante, imo nonnumquam excedente); 3, *margine* post fructificationem multo luculentius ac constantius membranâ albâ lacerâ lacinulato; 4, *loco* et 5, *tempore* natali. Subiculum e filamentis longis firmiusculis dilute flavis arcte intertextis satis crasse ac solide compexum, demum tamen tenuius atque hinc inde obliteratum, subterstratum est catervae fungorum longe lateque, ad 4—6 uncias et ultra, effusae: junioribus semi-immersis, adultis nudis, nec nisi fibrillis sparsis pro annexu instructis. Ad reliquam porro speciei historiam post descriptionem *Todeanam* quae addamus, vix habemus: verum illud silentio non praetereundum est, nos ne in hâc quidem specie, quantumvis diligentissime observatâ, vesiculam *salientem* umquam vidisse. Haec potius ad id firmitatis roborisve elastici, quod vasculo *T. stercorei* tribuit inventor, neutiquam pertingere videtur. *Latex* nimirum *fructificans* ab initio

observandus vel nullâtenus consolidatur, sed fluxilis persistens membranulae tandem vertice rupto circumquaque redundat; vel eousque tantum inspissatur, ut apice fisso cirrhuli fusiformis in speciem profluat. Nos saltem hujusmodi cirrhulos, resumto post nocturnam quietem examine, juxta ora semipatula, per effluxum procul dubio, recubantes conspeximus eorundem speciminum, quae vesperâ praecedente vasculo suo semi-emerso coronata animadverteramus. Prius nobis spectaculum greges autumnales, posterius vernales praebuere. — Praepulchra ceterum species ima sylvarum opacarum amat penetralia, ubi terrae nudae vel muscis, foliis, stipitibus putridis humi jacentibus (interdum tota obtecta) instrata passim occurrit (*Moholzer Haide*). Autumno seriore primoque vere.

9. PILOBOLUS.

197. P. crystallinus.

Fungus ipse ephemerus est: sed *pilei* ejus, substantiâ tenace praediti, postquam projecti sunt, paullatim exsiccati, diutissime persistunt. Praeter stercus vaccinum et equinum, quae vulgaris incolit, aliquoties etiam in succerdâ, et insignis quidem staturâ ac luxurie, nobis visus: minor contra et delicatior in fimo capreolino, locis umbrosis humentibus jacente. Omni anni tempore humido.

198. P. roridus.

Aetatum quidem varias vicissitudines in fungillo semel tantum locis remotis (*Diehsa*) lecto, omnium tenerrimo, nec incolumi domum transportando, perscrutari non licuit: sed quo minus cum praecedente conjungatur, vel ipsa perfecti ac fructificantis forma diversissima,

aciculae punctoriae minutulae ex omni capite aequiparanda, prorsus prohibere videtur. In fimo equino. Medio Junio.

10. SCLEROTIUM.

199. S. vaporarium NOBIS. Tab. X. f. 1.

S. tectum magnum durissimum polymorphum laeviusculum fuscescens, demum corrugatum nigrum.

Statura, color, locus, et eximia praesertim durities hanc speciem ut a subsequentibus sejungeremus, nobis persuasit. *Forma* varia — subglobosa, oblonga, reniformis, fabaeformis etc.: adeo tamen lobato-difformis, ac *S. fungorum* et *muscorum*, non occurrit. *Longitudo* nonnunquam uncialis fere: *latitudo* 4/6 linearum. *Color* a primis inde incunabulis fuscescens in nigrum paullo post utplurimum transit; fuscus in paucis persistit. *Substantia* alba, dein pallens, in recentissimo jam fungo admodum firma in sicciore adeo indurascit, ut cultri aciem nonnisi perquam difficulter admittat. In senioribus superficies rugosissima evadit. Degit haec species intra corticem vaporarium (*Seer Allee*), leviter tecta, frequens. Autumno et praesertim vere.

200. S. fungorum.

Est *S. fungorum Synops.* I. p. 120: excluso tamen synonymo *Todeano*, quod coloris locique caussâ sequenti speciei nobis judicibus restituendum erit. — Pallidum, demum e badio fuscum, glabrum, valde plerumque difforme, saepissime *Agarici tuberosi* nutrimentum — intra Agaricorum putridorum lamellas non infrequens nidulatur. Autumno.

201. S. subterraneum *Tode.*

α, muscorum

β, truncorum

Cf. *Tode fung. mekl.* I. p. 3. 4. Var. α, tota amoene lutea, extus intusque concolor, locis paludosis sylvaticis, mox circa muscorum radiculas conglomerata, mox lignis obtectis madidis putrescentibus inhaerens, passim occurrit Maio, Junio. Ita et β, hinc inde invenitur; major, adeo magna tamen, ac suam pinxit b. *Tode*, nondum nobis visa; extus laete flava, colore pulchre rubello in nonnullis passim afflata, intus alba, vix pallens. Locis madentibus, ipsissimae saepe aquae immersa, tecta, circa truncorum radices et alibi. Aestate et autumno.

202. S. durum.

Depressum, planiusculum, oblongo-subanomalum. Caules aridos amat Umbellatarum, *Cicutae*, *Chaerophyllorum* etc. in quibus praecellenter nutritur: sed ingens etiam, ad unciam usque longum, semunciam latum, parallele simul et profunde sulcatum, habuimus v. c. in *Alceâ roseâ* etc. Autumno, hyeme, vere.

203. S. complanatum.

Modo sessile, modo substipitatum: teretiusculum, dum vi vitali vigentissimâ turget, dein in formam obcordatam vel obovatam plus minus compressum: recens sordide pallidum, siccum opacius, fuscescens. In stipulis, graminum culmis etc. passim: sed vulgatissimum in foliis obtectis putrescentibus variis, *Alni*, *Betulae* etc. praesertim *Populi tremulae*, ubi laetissime viget hyeme, vere, aestate.

Tab. III. f. 6. 204. S. scutellatum NOBIS.

S. orbiculare horizontale depresso-concaviusculum substipitatum fuscum, demum rugulosum nigrum.

Orbiculum exacte referens, planum vel subconcavum, scutelliforme, Pezizam sese primo adspectu simulat. *Diameter* 2/3 linearum; *crassities* $\frac{1}{3}$ lineae fere. *Stipes* brevissimus, a latere tamen distincte conspicuus.

Substantia pro generis more tenax, alba, passim subfuliginosa. *Cortex* in nonnullis pube, aut si mavis pruinâ, tenuissimâ cinerascente (an seminali?) obductus; ceterum laevis. Speciem formâ constantissimâ, situ et colore a praecedente affatim diversam in petiolis nervisque foliorum putrido-siccorum *Fraxini* locis dumosis umbrosis legimus (*Jänkendorf*) Maio.

205. S. Brassicae.

Substantia initio tota alba, dein punctis sparsis nigris conspicua, penitus demum nigra evadit. Occurrit loco suo, nec alibi hactenus, non infrequens, hyemalis.

206. S. varium.

α, Brassicae

ββ, pyrinum

Var. *α*, aetate mediâ e pallido subvirente fuscescens laeviuscula; matura extus, demum et intus, magis magisque nigricans corrugatur. Non tantum hyemalis est et cellaris; sed et aestivalis sub dio in radicibus caulibusque *Brassicae* siccis crebra ac gregaria provenit, initio subimmersa, *pseudostromate* nigro quodam, forsan nonnisi a variis sordibus oriundo, interdum instructa. *ββ*, lobata varia, cortice duro nigro, substantiâ (per putredinem, ut videbatur) molliusculâ pallidâ, in fructibus *pyrinis* putribus parasitica — hûc satis commode, nisi ob solum natale praesertim nimis abnorme propriam speciem malueris, referri poterit. (An istûc *Tremella ustulata Synops.* II. p. 627? sed noster fungus *Sclerotiis* certissime accensendus est). Semel, ineunte Januario, in pyris sub dio projectis.

207. S. Semen.

Plerumque exacte globosum, subliberum. Praeter caules semiputres Solani etc. *folia* etiam betulina aliaque passim, laxe adhaerens, incolit, locis humidis dejecta. Vere.

208. S. pubescens.
Formâ variat globosâ et oblongâ. Acutiusculum nonnunquam, medio saepe excavatum. *Villo* baseos albido radiculiformi hymenii fundo aut lamellis *Agaricorum* putrescentium infixum passim occurrit Nov. Dec.

209. S. Erysiphe.

α, *herbarum*

β, *coryleum*

α, in variarum plantarum (*Ranunculorum* etc.) foliis, sed et in caulibus herbarum, v. c. *Delphinii Ajacis*, siccis, elegantula. *β*, in foliis coryleis passim. *Tomentum* in hâc saepe vix ullum: *granula* veluti aperta apparent. Autumno, vere.

210. S. quercinum.
Nonnunquam hemi-ellipsoideum. Vulgare in foliis *quercinis* — rarius in *fagineis* — rarissimum in *pyrinis* sylvestribus. Perenne: sed praesertim vernale et aestivale.

211. S. populneum.
Est e maxime trivialibus, folia semiviva siccaque *Populorum*, *nigrae* et *tremulae*, mirâ copiâ vexans; perenne. Simile porro corpusculum paginam superiorem foliorum *Salicis Capreae* frequens passim obsidet: sed an fungosum? an entomogonum? nondum satis liquet. Vere, aestate.

212. S. sphaerioides.
Speciem memorabilem, inter *Sphaerias* et *Sclerotia* mediam (cf. N. 17.), in ramis nos quoque tenuioribus *Populi tremulae* hinc inde invenimus (*Moholzer Haide*). Autumno tardo et vere.

OBS. En iterum specierum huicce generi accensendarum dyadem, quam nondum satis exploratam in amplius successoribus proponimus examen:

a. *S. Tragopogi.* S. parvum semi-immersum subglobosum, disco collapso pezizoideum, nigrum. An *Sphaeria?* Substantia vetare videtur; massâ enim albâ durâ carnosâ intus farctum est. *Sphaeriâ punctiformi* quadruplo majus, domicilioque diversissimum: inventum enim fuit hortense in *Tragopogi porrifolii* caulibus aridis, medio Nov.

b. *S. acerinum.* S. sessile applanatum disciforme sordide nigrum. Totâ disci paginâ inferiore folio insidet, nec ullâtenus in fuscum vergit: forma planissima. Inde a *S. scutellato* et *quercino* diversum videtur: semel parcum in folio *Aceris Platanoidis.* Aprili.

11. TUBER.

213. T. album.

Minus, subrotundum oblongumque minus difforme; extus ex albo sordide rufum; intus itidem album, dissectum ad aëris contactum rubescens. Mox inodorum, mox allium vehementer redolens. Terrestre, semi-immersum, ad vias arenosas hinc inde, sed parcius. Unciam diametro vix superans; superficie parum rugosum. Aestate et autumno.

214. T. virens NOBIS. T. VIII. f. 3.

T. majus lobato-difforme, filamentis in superficie sparsim decurrentibus laxis subreticulatum, extus e rufo griseum vel sordide spadiceum, intus e viridi cinerascens.

Differt ab antecedente 1, *colore* externo et praesertim interno constantissimo; 2, *reticulo filamentoso;* 3, *difformitate* eximiâ; 4, *staturâ* ultra duplum majore, utplurimum 2—3unciali. His discriminibus innixi fungum nostrum specie separandum duximus — inodorum ceterum et insipidum, polymorphum, diversimode gibbo-

sum, Tuber edule *Solani* adeo mentientem, ut vix ullus indeceptus discedat, semi-defossum, arrhizum, ni fila supra descripta, passim apicibus liberis ramosa, radicularum vices subire aestimaveris. Viarum praesertim et haec species arenosarum comes, sed magis assidua praecedente. Item aestate et autumno. — An igitur species nostra cum *Lycoperdo aestivo Wulfenii* conjungenda? magnitudine exceptâ parum obstare videtur: verum penes peritiores esto judicium.

ORDO III.

DERMATOCARPI.

FAMILIA I.

TRICHOSPERMI.

12. GEASTRUM.

a) *Pedicellata.*

215. G. pectinatum.

Volva 5—8fida, fornicata, reflexa, laxa. *Oris* dentes validi crassi, inde ab ejus basi separati, pectinis dentibus similes, in conum acutum convergunt. *Pedicelli* mox laeves, mox striati. Legimus speciem raram in terrâ rasâ acubus obtectâ sub Abiete (*Löbauer Berg*), loco unico; Septembri.

216. G. quadrifidum.

α, majus

β, minus

Ludit utraque var. *ore* vel pallidiore incano, vel obscuriore subumbrino: differunt staturâ peridiique formâ. Crescit *α*, frequentior, *β*, rarior, in sylvaticis umbrosis, praesertim acerosis, passim. — Autumno, hyeme miti, vere.

b) *Sessilia.*

217. G. rufescens.

Species magnitudine coloreque aeque fere variabilis ac praecedens: radius tamen rufi coloris mixturâ constanter insignitur. Locis similibus cum antecessore: sed infrequens. Perdurat et haec hyemem lenem in ver usque.

13. BOVISTA.

218. B. nigrescens.

Vel sparsa crescit, vel in caespitulos speciminum aliquot collecta. Loca sibi eligit umbrosa culta hortorum, agrorum etc. quae passim incolit autumno et vere.

219. B. plumbea.

Amat species vulgaris pratorum ac pascuorum sicciora, gramine tenui vestita. Aestate, autumno.

14. TULOSTOMA.

220. T. brumale.

α, efile

Stipes in exemplis nostris *peridio* nudiusculo expallescente multo squamosior: attamen *os planum* hanc omnino speciem suadet. Parcum semel invenimus fungum in muro (*coemeterii Jänkendorfensis*). Exeunte Januario.

15. LYCOPERDON.

221. L. Bovista.

In collinis graminosis pascuosis hinc inde. Aug. Sept.

222. L. pratense.

Exempla nostra descriptione *Synopseos* utplurimum aliquanto minora, diametri uncialis fere. *Verrucae* parvae, mere pulveraceae, faciles detersiles. — Cum praecedente passim, non infrequens. Aestate et autumno.

223. L. excipuliforme.

α, autumnale

Caulis longior vel brevior, basi praesertim constanter plicatus. *Peridium* e formâ globosâ plus minusve depressum, subtus nonnumquam planiusculum, ut ad figuram pulvinatam accedat. Loco suo hinc illinc. Septembri, Octobri.

224. L. perlatum.

α, albidum

β, nigrescens

Verrucis imbrium ope sparsim ablutis, *cortex* subjacens laevis nonnumquam in conspectum venit. *β*, varietatem vix meretur. Occurrit utraque in sylvaticis, aestate et autumno.

225. L. candidum.

In sylvis frondosis ubique, utplurimum terrestre, rarius in truncis putridis epixylum: reliquis coaevum.

226. L. echinatum.

In pinetis aeque ac faginetis, sparsum vel caespitosum, hinc inde satis frequens. Autumnale.

227. L. umbrinum.

α, hirsutum

Differt a praecedente *colore* exacte umbrino, ac praesertim *verrucis* tenuibus, subinde elongatis, mollibus;

a sequente formâ, etiam situ non caespitoso. In pinetis et abiegnis frequens, autumno.

228. L. quercinum.

Caespites magni. *Radices* copiosae, longae. Frequens crescit haec species in cortice vaporario (*Seer Allee*), nec alibi hactenus: ceteris contemporalis.

OBS. Genus hoc, si quod aliud, iteratâ indiget revisione: quâ institutâ, ad sententiam *Bulliardi* de *L. Proteo* numerosis varietatibus superbiente, forsan et ad alias specierum reductiones, reversum iri, certo omnino auguramur. Notae enim specificae pleraeque, a colore v. g., formâ, verrucis, umbone (in junioribus fere nullo, vix nisi in maturescentibus paullo ante corticis diruptionem, cui inchoandae destinatus est, assurgente) desumtae, aetatis progredientis mutationibus adeo obnoxiae sunt, ut de limitibus firmis inter species affines stabiliendis saepe prorsus desperandum esse videatur.

16. SCLERODERMA.

229. S. citrinum.

Magnitudine inter 1 et 4 uncias ludit: in gramineis secus vias, in pinetis etc. vulgare, terrestre et truncigenum. Aestate exeunte et autumno.

230. S. spadiceum.

Propinquum antecedenti, sed unciale fere, laeviusculum, guttatum, spadiceum, subtus pallens. Rarius illo: ceterum loco (etiam terrestri) ac tempore congruum.

231. S. cervinum.

α, granulatum

Aetate juniore extus pallet, jam tum granulosum; intus e dilute rubro purpurascit. Cortex dein magis magisque induratus spadiceus evadit: medulla e fusco nigricat. Vulgata species videtur in pinetis: non obstante enim

loco subterraneo, mero casu effossa satis frequens invenitur. Aestate, autumno.

17. PISOLITHUS NOBIS.

Peridium commune caulescens, varie demum ruptum, includens *peridiola* numerosa, intra substantiam fibrosam celluliseda.

Tab. I. f. 5. 232. P. arenarius NOBIS.

Scleroderma arrhizum *Synops.* I. p. 152?? Descriptio non satis adaequata videtur: nimis tamen profecto succincta est: adeo, ut icone explicationeque inventoris ipsius potiri frustra conati, nunn species nostra cum *Scopolianâ* una eademque sit, necne? dijudicare nequeamus. Utcunque tamen hoc se habeat, fungo nostro neminem facile autoptam proprium genus, cui praeter synonymon allegatum forsitan etiam *Scleroderma tinctorium Synops. l. c.* adnumerandum erit, recusaturum confidimus: ejus inde petivimus nomen, quod peridium commune perscissum lapidis notissimi, quem prope thermas Carolinas nascentem Pisolithum vulgo nuncupant, memoriam illico renovat. *Caulis* ½ — 1 unc. longus, ¼/¾ unc. crassus, deorsum subattenuatus, terrae firmiter infixus, basi praemorsus, radiculas parcas vagas tenues flavidas, interdum vix ullas, exserens, intus substantiâ communi dilutius coloratâ, sursum celluligerâ fungillos infantiles alente, farctus — dilatatur in *peridium commune* sphaericum fere, rarius subovatum, diametri 1½/4uncialis, superficiei subaequalis, non nisi levius passim lacunosae: eius *cortex* laevis est, opacus, pro ratione tenuis, rigidus, fragilis, sordide ferrugineus, dein expallidus. *Substantia* stuposo-fibrosa, e filamentis longiusculis evidenter contexta, recens fusco-viridis, humida, latice aquoso veluti e spongiâ exprimendo per-

fusa, exsiccata nigricans in massam duram satis firmam compingitur, lamellosas tum undique maceries inter cellulas vicinas exhibens. Tota quanta nimirum *cellulis* scatet innumeris, variae magnitudinis ac formae; quarum singulae peridiola singula laxius fovent, ita ut haec facile exglubi, cellulaeque dein ipsae vacuae conspici possint. Sunt ista *peridiola* initio minuta, mollissima, pulposa, extus intusque unicolora laete flava: paullatim inde in formam plerumque ovato-oblongam, ob situm arctum diversimode compressam, excrescunt, *cortice* (a filis substantiae agglutinatis, ut videtur) hirsutulo, tenui, albido vel flavo-sulphurascente, exsiccato etiam colorem servante — *medullâ* carnosâ succulentâ albidâ, paullo post brunnescente, simulque cito arefactâ et in pulverem terreo-ferrugineum filis parcis intermixtum dilapsâ. Quae omnia brevibus sese ita excipiunt, ut fungo verticaliter secto peridiola saepe *summa* pulvere plena, *media* etiamnum succulenta, *ima* et *lateralia* exigua mereque pulposa invenias, unicoque obtutu historiam speciei integram perlustres. Fungilli ceterum centrales majores, 3—4 lin. longi, 1/2 lati; versus marginem sensim minores; *minuti* tamen, dummodo adulti sint, non dicendi. Cortice communi demum varie diffracto, peridiolisque vulneri accumbentibus simul etiam laesis, pulvis carcere suo liberatus longe lateque dispergitur. — Secus vias, agrorum margines etc. locis arenosis apricis passim, nec infrequens, crescit a Junio in Novembrem usque.

18. LYCOGALA.

233. L. atrum NOBIS. Tab. III. f. 5.

L. atrum, pulvere filis ramosis arbusculiformibus radiatim divergentibus intertexto.

α, pulvinatum

β, pendulum

Singularis capillitii structura amplius infra describenda speciem nostram cum *Trichodermate fuliginoide Pers. Synops.* I. 231. in novum forsitan genus, Trichodendri nomine idoneo donandum, conjungi posse monebat: sed in *L.* etiam *argenteo* similis fabricae rudimentis, ad quae imperfectior nonnumquam arbusculae nostrae effiguratio justo propius accedere videbatur, non semel observatis, a proposito abstinere satius duximus. Mox solitaria crescit var. *α*,; mox specimina aliquot contigua, imo subconfluentia, caespitem efficiunt. *Forma* satis regularis, pulvinata sive hemisphaerico-depressa, in subeffusam quandoque abit: *diameter* 1/2 unciarum fere est, *crassities* 4/6 lineas aequat. Totus fungus primitivus liquamen sistit mollitiei in Trichospermis solitae pulposae, coloris albi, paullo post sordide flavicantis: inde e rubello sanguineo fuscescens paullatim simul exsiccatur et ad maturitatem appropinquat. In aetate dein perfectâ positus *membranam* ostendit subjacentem satis validam, pellucidam, ex argenteo cinerascentem, planam, ligno incumbentem; e cujus centro assurgunt *fila* 1 — 3 simplicia firma, at in ramos ramulosque teneriores numerosos, vage pulverem undique (quo difflato luculenter oculos subeunt) perreptantes, subdichotome mox arboris ad instar divisa. *Cortex* porro fungum tegit modo griseo-fuscus, modo ater, reticulo subtili elegantulo albescente scabellus, at in ejus interstitiis laevis, imo paene lucidus — tener ceterum, tenuis, rigidus, omnium fragillimus; adeo ut ad tactum aliamve injuriam quantumvis leniter illatam statim ruptus facilem *pulveri* copioso, subtiliori, e fusco demum aterrimo, exitum praebeat. Var. *β*, discrepat *staturâ* triplo minore, *situ*

de trabibus horizontalibus liberis verticaliter pendulo, et *formâ* inde globosâ vel subturbinatâ *substipitatâ:* substantiâ enim fungi initiali molluscâ juxta communem gravitatis legem ima petente, ac circa arbusculae ramificationes haerente, truncus arbusti (*filum* nimirum crassius simplex supra descriptum) denudatus petiolum quendam stipitemve sistit. Superficies in hâc interdum subgyrosa: aliâ vice villo albicante, num alienigenâ? dein evanescente, tectam vidimus. — Utraque constantissime nonnisi *pinicola:* β, tempore humido ad matricem indicatam (*Monplaisir*) rarior; α, ad truncos mortuos decorticatos quotannis frequens, sed praesertim, postquam lugubri sane fato pineta nostra pleraque nefastâ prorsus *Phalaenae B. Pini* L. voracitate devastata fuere, per novissimos hosce annos vulgatissima. Apr. Mai. Jun. parcior redit Oct. Nov.

234. L. argenteum.

Forma segmenti sphaerici ad quartam fere superficiei partem pertinentis. *Color* corticis ab initio argenteus, sericeo nitore insignis; sed deinde sordescit, e griseo in subfuscum vergens. *Fila* in hujus quoque speciei exemplis perfectioribus *membranae* suppositae innata visuntur, parca, subsparsa, firma, verticalia obliquaque; sed simpliciuscula, nec in arbusculam hactenus efformata invenimus: cf. modo dicta ad N. 233. Huic nimis cognatum videtur *L. turbinatum Synops.* I, p. 158.: nonne eâdem tantum de caussâ eodemque modo ab eo diversum, ac β, praecedentis speciei ab α,? — Ligna truncosque varios (abietinos, betulinos, quercinos etc.) passim colit, non rarum. Aestate, autumno.

235. L. miniatum.

Ludit species trivialis *staturâ* unciali, imo ampliore; rarius *figurâ* oblongâ, fabaeformi etc. *Fila* corticis

paginae interiori undique adnata, parvula, tenuia, subramosa, satis dense congesta. In lignis putridis ubique abunde. Aestate et autumno.

19. FULIGO.

236. F. rufa.

Rarior in regionibus nostris: in sylvis praesertim frondosis remotis meridionalibus truncos betulinos aliosque passim incolens. Sept. Oct.

237. F. violacea.

Caudices haec praeamat *abietinos*, ad quos minime infrequens occurrit. *Forma* subrotunda: *diameter* ab 1 ad 4 uncias variat. Autumno, in hyemem usque.

238. F. flava.

α, flava

Cortex in hâc quoque haud raro evanescit. Vulgaris ubique: aestate, autumno.

239. F. vaporaria.

Saepe, a sole praesertim justo citius tacta et exusta, in bullas varias corneas solidas pulvere destitutas indurata, imperfecta persistit. Abunde promergit ex acervis coriariorum, corticem tum florere (*die Lohe blüht*) ajentium. Vere et aestate, parcius autumno.

Tab. VII f. 1. 240. F. muscorum NOBIS.

F. pulvinata gregaria parva ochrea, demum exalbida, cortice laeviusculo venoso-noduloso tenuissimo semipellucente fragillimo, pulvere nigricante.

Corticis indole haec etiam species, aeque ac praecedens *F. rufa*, ad Lycogalactis genus quadantenus accedit: veruntamen huic nostro ob fabricam internam adjudicanda est. *Diameter* 3/4 linearum: *altitudo* bilinearis: specimina passim bina confluunt. Muscicola gregaria magis est et irregularis, exemplis saepe pluribus *mem-*

branulae communi albidae pellucidae impositis: epiphylla magis solitaria regulariusque orbicularis obvenit. *Cortex* nec celluloso-fibrosus est, nec foraminulosus, sed (nodulis sparsis, per venas subanastomosantibus, exceptis) laevis: ejus *color* ochraceus admodum fugax, subtus tantum (loco videlicet ab aëris allusu tutiore) diutius persistens, postquam exalbuit, pulvere transmicante cinereus apparet. *Pulvis* suetae prorsus in congeneribus naturae, fusco-niger, fibris ochreis intertextus. — Hinc illinc reperimus speciem rariusculam, terrestrem, locis humentibus vel paludosis opacis sylvaticis (*Moholzer Haide*) foliis deciduis et praesertim muscis inspersam. Sept. Oct.

241. F. candida.

Affinis videtur *F. flavae*, a quâ cortice praesertim candido distat. Increscit truncis muscosis pineis aliisque, sed parum frequens (*Moholzer Haide*). Aestate et autumno.

20. SPUMARIA.

242. S. Mucilago.

Graminibus, stipulis, aliisve corpusculis humi jacentibus copiose innascitur locis humidiusculis umbrosis, tempore pluvio aestivo et autumnali.

243. S. physaroides.

Diderma quoddam Physarumve sessile corruptum, mucore albido (cortice scilicet in pulverem grossiorem soluto) obductum, obiter inspecta mentitur: sed pulvere illo absterso vel difflato *peridia* lucem subeunt varie confluentia, nigra, cuticulâ tenerrimâ veluti *cortice interiore* tecta ac inde sequenti generi proxima, intus pulverulenta. Ligna, truncos, muscos etc. sylvarum passim incolit. Jul. Aug.

rior ex albo cinerascens. Folia varia hinc inde incolit: aestate praesertim ac ineunte autumno.

250. D. difforme.

Columella nulla. *Pulvis* fere niger. *Peridii* cortex *interior* coeruleo-violascens, micore nonnunquam praepulchro colli columbini insignis — *exterior* siccus candidus, habitum putaminis ovi Sectioni huic solemnem prae se ferens, humectatus illico e coeruleo cinerascens. Frequens occurrit tempore inprimis pluvio, mox epiphyllum, mox in graminum culmis aut *Solani*, *Sparganii*, *Typhae* etc. caulibus concumulatis tectis putrescentibus parasitans. Perenne.

22. PHYSARUM.

a) *Acaulia.*

Tab. VII f. 2. 251. P. reticulatum NOBIS.

P. acaule serpens elongatum flexuosum aurantium, peridiis utplurimum ramosis, ramis reticulatim anastomosantibus.

Peridia nonnulla adsunt solitaria, sparsa, indivisa, minora, 1/2-linearia, polymorpha, in formam literarum fere O, C, S, vel alio modo, flexa: verum plura, perfectius effigurata, ad semunciam et ultra elongata variabili prorepunt directione, ramisque varie anastomosantibus hinc inde emissis reticuli speciem praebent — illaesa dum sunt, pro *Trichiâ reticulatâ* facile venum euntia. *Peridii cortex exterior* rugulosus, vivide aurantius, secus basin dilutior, eximie fragilis, uni-rarius bifariam longitudinaliter dehiscens, rimâ flexuosâ demum (marginibus ad latera utrinque valde reflexis, passim etiam frustulatim pereuntibus) patentissimâ — *interior* membranaceus tener flavidus, exteriori arcte adhaerens,

a quo nonnisi rarius solutus inque pulveris tegumentum remanens in oculos incurrit. Huic undique adnata *fila* concolora subsimplicia luculenta firmula *pulverem* nigro-fuscum satis copiose intertexunt. *Columella* nulla. A sequente, ob coloris affinitatem comparabili, abunde distat formâ, situ, dehiscendi modo, structurâ internâ. Legimus speciem pulchram in foliorum variorum exsiccatorum acervis *epiphyllam*, rarius *epixylam*, coelo madente, Junio, Julio, Augusto.

252. P. contextum.

Columellam, cujus plerumque adsunt rudimenta, in nonnullis satis perfectam, *peridio* concolorem fere ac conformem, vidimus. Ramis, corticibus, lignis, muscis increscit, loca uda sylvatica amans, ubi a *Mniis* majoribus etc. praecellenter copioseque nutritum laete vigere solet aestate et autumno, in hyemem usque.

253. P. confluens.

ββ, muscigenum

Discrepat ab *α*, staturâ, quam vulgarem servat, locoque natali: specie tamen conjungendum, licet descriptionem auctoris nimis abbreviatam doleamus, peridiorum color ac confluxus, et capillitium praesertim, suasere. Hoc enim fasciculatum compactum, peridio dein aperto relaxatum ac subexpansum, Trichiis speciem nostram propiorem demonstrat — attamen a Physaris vel ob habitum, peridii pulverisque colorem etc. vix avellendam. Primo molle, flavum. *Peridium* subdepressum, perquam multiforme. *Columella* utplurimum nulla; aliquoties tamen parvam, albidam, pulvere concolore refertam conspeximus. *Pulvis* fuscus, solito dilutior. Muscis, acubus, stipitibus deciduis abunde saepe irrepit locis umbrosis udis. Aestate et autumno.

254. P. bivalve.

Ludit colore vel cinereo, vel fumoso e cano subolivascente, rimae marginibus albis. Variabilis porro est dimensionum ratio: habuimus v. c. exempla altissima, 4 fere lineas longa, 2—3 alta, quae *Sterei* alicujus parvuli specie primo obtutu nobis illusere. Frequens viget species excentrica locis praesertim suffocatis, intra acervos v. c. quisquiliarum variarum humi collectarum degens, aestate madidâ, Jul. Aug.

255. P. cinereum.

α, globosum

β, complanatum

γγ, obovatum

Peridii cortex (duplex, ut videtur — exterus in squamulas furfuraceas solutus) tener est ac pellucens: hinc pulvere transmicante cinereus apparet, quo disperso colorem nativum albidum monstrat. Truncos corticesque colit *α*, inprimis *pineos* frequens, caespitosa saepe ac paene fascicularis: *β*, rariorem invenimus *epiphyllam* (*Monplaisir*) aestate: *γγ*, in *Polytrichis* pratorum paludosorum (*Moholzer Haide*) Octobri lecta insignis erat peridiis obovatis dilute incanis in membranâ concolore pellucidâ densissime aggregatis, pulvere fusco. *α*, praesertim autumnalis.

b) *Stipitata.*

256. P. hyalinum.

α, albidum

ββ, chalybaeum

Var. *α*, peridii pulverisque colore cum praecedente conveniens, ligna passim, sed minus frequens, incolit hyeme et vere. *ββ*, differt peridiis majoribus coerulescentibus, nitore chalybaeo egregio splendidis, stipitibus

flavicantibus parum rufescentibus, pulvere fusco-nigro. Hanc in lignis *Populi tremulae* putrescentibus caesis gregariam (*Moholzer Haide*) semel reperimus ineunte Aprili.

257. P. muscicola.

Peridia staturâ vulgari parum minora sunt; sed formâ a *P. squamuloso* aeque ac *P. nutante*, inter quae ceterum media fere existit haec species, discrepant. *Stipes* e luteo saepe rutilans: *peridium* dein minute squamulosum. *Sphagnis*, *Hypno parietino* etc. rarius hinc inde (*Moholzer Haide*) gregaria innascitur, capitulis nonnunquam per paria coalitis. Augusto, Septembri.

258. P. nutans.

α, vulgare

β, subtile

Peridium primo glabrum, demum rugulosum, imo subsquamulosum, evadit. *Stipes* albidus, deorsum plus minusve incrassatus sordide fuscescit. Truncos abietinos aliosque praeamat vulgatior *α*, folia ac varias quisquilias humi degentes locis praesertim tectis *β*,: utraque aestiva et autumnalis.

259. P. sulphureum NOBIS. Tab. VI. f. 1.

P. stipitatum, *peridio globoso erecto rugoso-subsquamuloso sulphureo*, *stipite brevi firmo conico albo*.

Statura curta robusta. *Stipes* e basi crassâ in formam exacte conicam attenuatus, albus, capitulum longitudine aequat vel tantillum excedit: *membranulae* vel obsoletae concolori vel prorsus etiam nulli impositus. *Peridium* sphaericum, non umbilicatum, rugosum imo subfarinaceum, vivide sulphureum, diutius asservatum aliquantum expallescit: *fibrillae* concolores luculentae sat frequentes *pulverem* de generis more e fusco nigricantem perrepentes exhilarant. *Columella* nulla. Semel

modo, sed perfectam, legere obtigit speciem raram, ad *folia* sicca decidua imbribus recreata (*Ödernitz*). Ineunte Augusto.

260. P. viride.

α, viride

ββ, luteo-virens

Peridii colore a *P. nutante* affatim diversum, quamvis ceteroquin ex omni capite, etiam capitulo plerumque nutante, cum eo congruat. Rara nobis utraque varietas, nec nisi semel inventa: *α*, ramulis siccis deciduis, muscis, foliis etc. innata in abietinis umbrosis ineunte Septembri (*hohe Strasse*): *ββ*, colore peridii e viridi laete lutescente locum sibi inter *α*, sequentemque speciem quodammodo medium vindicans, in truncis *abietinis* putridis humentibus (*Moholzer Haide*) Junio.

261. P. aureum.

Parcior haec quoque species praepulchra in regionibus nostris obvia, truncos putres lignaque carie exesa incolens bisve terve inventa. Autumno.

262. P. aurantium.

ββ, rufipes

Varietasne nostra sit an species propria? qui *Bulliardi* iconem explicationemque coram habent, dijudicanto: nos accuratam fungi notabilis descriptionem dare pro virili satagemus. *Situs* sparsus vel gregarius. E *membranâ* propriâ communive flavicante *stipites* assurgunt peridia sua aequantes aut aliquantum superantes, e basi crassiore sursum plus minus attenuati, striati quin nonnumquam paene sulcati, modo laxi semidecumbentes, modo firmi erecti, interdum subcompressi, ex aurantio rufi. *Peridia non* umbilicata formâ globosâ obovatâque variant: eorum *cortex* minus magisve rugosus, tenuis, subpellucens, fragilis, hinc in squamas vel frusta varia

facile discedens, mox luteus, mox aurantius, nitore quodam rutilo-chalybaeo haud raro micans — ab interioribus ceterum partibus *liber*, totusque igitur a *glebâ* e pulvere capillitioque compactâ, prorsus illaesâ remanente, solubilis. *Pulvis* fusco-niger *fibris* intertextus est satis parcis vagis crassis flavidis, e *nucleo* quodam seu *columellâ spuriâ* centrali difformi concolore oriundis. Fabrica haec interna adeo abnormis, ad eam, quae est in *Fuliginibus*, propius accedens, fungum nostrum non specie tantum, sed vel ipso genere a reliquis semovendum suadere videbatur: sed quum characteribus externis plerisque cum α, congrueret, nec, quatenus *Bulliardus* speciei suae penitiora anatomes ope lustrasset, nossemus, loco hoc eum quantumvis ambiguo tantisper proponere, quam novo genere frustra gloriari maluimus. Intra hortorum rejectamenta aliosve acervos (Trichospermorum in universum ditissimos) in foliis, stipulis, ramulis etc. suffocatis minime infrequens post imbres obvius fuit fungillus: quid quod ingentem ejus catervam in ipsissimo *ollae* fragmento repertam asservamus! A Junio in Augustum usque.

263. P. columbinum.

α, *globosum*

ββ, *obovatum*

Peridia in α, modica sunt, exacte sphaerica, e coeruleo cum splendore chalybaeo violacea, rugulosa, hinc inde tempore praesertim verno, sed rariuscule, epixyla. ββ, formâ *peridiorum* majorum nitidiorumque obovatâ discrepans semel in culmis tecti vetusti straminei (*Rengersdorf*) inventa fuit. Medio Novembri.

264. P. squamulosum.

Capitula juniorum mollia fluxilia flava domum etiam cautius translata in aetatem abeunt maturam. *Stipes*

mediocris, firmus, rufus, rutilans: *peridiorum* interdum subnutantium cortex exterior in squamas solito crassiores furfuraceas solvitur. Ad truncos corticesque inprimis *pineos* et *abietinos* haud adeo infrequens nobis: aestate, autumno, hyeme.

265. P. tigrinum.

Squamulae in aliis satis grossae, in aliis subtiles pulverulentae; interdum etiam obliteratae. Ex omni ceterum capite cum icone cel. *Schraderi* conveniunt specimina nostra: sed *columellam* distinctam non animadvertimus. Ligna putrida *abietina* passim incolit, parum frequens. Nov. Dec.

266. P. farinaceum.

α, globosum

β, depressum Trentep.

Cf. *Schrad. nov. gen. pl.* p. 26. *Stipes* modo mediocris, modo brevis, modo (in muscicolis praesertim, at et epixylis) vix ullus. *Peridia* saepe bina, rarius terna, connata. *Columellae* in aliis rudimentum quoddam, in aliis ne hoc quidem, observavimus. Corpuscula varia occupat species vulgaris, in ipso etiam fimo equino nobis visa: perennis fere.

Tab. II. f. 2. 267. P. Clavus NOBIS.

P. stipitatum, peridio pileiformi subtus nigro, supra farinâ villosâ cinereâ dense consperso.

Colore quidem omnium fere partium, habitu firmo curto, ac tegumento convexae pilei superficiei convenit cum praecedente: sed formâ praesertim peridii constantissimâ, a toto reliquo genere prorsus alienâ, magis abhorret, quam ut conjungi queat. *Stipes* perbrevis, dimidium s. integrum peridii diametrum aequans, validus, substriatus, niger, *membranulae* concolori impositus. *Peridia* majuscula, orbicularia, horizontaliter valde com-

pressa, in pilei formam (supra convexam, subtus concavam) circumcirca regularissime curvata, ita ut fungillus, clavum (ex eorum numero, quos *Zwecken* vocant vernaculo sermone) exacte referens, Helotii cujusdam novi spe per prima inventionis momenta nobis illuserit: subtus ceterum laevia nigra, supra (nonne per corticem exteriorem in squamulas tenuissimas solutum?) cinereo-pulverulenta, in pilei vertice nonnumquam puncto impresso umbilicata. *Fila* copiosiuscula. *Pulvis* fuscus. *Columella* nulla. — Stipulas aliaque rejectamenta, sed praeprimis foliorum siccorum petiolos nervosque hinc illinc incolit, satis frequens. Junio, Julio, Augusto.

OBS. 1. Multum in genere hujusce familiae facile locupletissimo superest laboris, partim in ulteriore specierum jam descriptarum nonnullarum confirmatione ac limitatione, partim in novarum conquisitione consumendi. Harum ex iis, quae praeter supra recensitas passim obviae fuere, duas potissimum apponendas duximus:

a. *P. flavovirens.* P. stipite mediocri fuscescente, peridio obovato vel pyriformi, cortice fragili laevi (nec squamuloso) flavo-virente, pulvere compactiore nigro. Inter muscos ad truncum putridum (*Schöpswiesen*) Augusto.

b. *P. compressum.* P. stipitatum, peridio umbilicato compresso bivalvi obverse parabolico cinereo, stipite mediocri firmo fusco. *Peridium* supra convexum, fissurâ longitudinali dehiscens. *Fila* copiosiuscula alba. Peculiaris omnino forma exemplorum prorsus perfectorum desiderium auget. In foliorum, ramulorum, stipitum semiputrium etc. cumulis (*in Gerstmanns Pflanzung*) Augusto.

OBS. 2. Ex iis, quae post viros clariss. *Persoonium* atque *Schraderum* nobis etiam passim annotanda sese

obtulere, quam infirmo diagnosis inter genera ambo praecedentia talo hactenus nitatur, affatim liquebit. *Peridii* enim *membrana interior* in omnibus forsan adest; etiamsi ob arctissimum cum exteriore connubium difficillima saepe extricatu facile negligatur: cf. NN. 251. 255. 264. 267. Cel. autem *Schraderi*, juxta *columellae* praesentiam defectumve Didymii Physarique genus secernentis, sententiam quo minus sequamur, partis hujus inconstantia prohibet: cf. NN. 252. 253. 265. 266. Donec igitur character distinctivus stabilior erutus fuerit, nescimus, an genera haec in unicum conjuncta in familias tantum secundum notas hucusque indagatas dispescere praestet.

23. TRICHIA.

a) *Pyriformes.*

268. T. Botrytis.

α, fasciculata

β, simplex

Var. *α*, praeter truncos., quos frequens passim incolit, etiam in fungis durioribus putrescentibus aliquoties inventa (*Agarico sepiario* aliisque) bysso demum quâdam albescente obvoluta perire solet. Autumno, hyeme, vere. Var. *β*, stipite simplici breviore nigricante, peridio nitide badio distans, specie fortasse propriâ digna est. Rarior ad cortices semiputridos (*Moholzer Haide*) Octobri.

269. T. rubiformis.

α, laevis

Fulgor chalybaeus speciosissimus. *Stipes* ramoso-corymbosus, saepe compressus. *Pulvis* cum *capillitio* vivide puniceus. Ad truncos et cortices hinc inde, nec rara. Perdurat et haec ab autumno in ver usque.

270. T. fallax.

α, dilutior

Parcior in regionibus nostris ligna putria incolit, grege conferto (*Eulenwald*). Julio, Augusto.

271. T. clavata.

Juvenilis et haec, fluxilis dum est, colore pulchro cinnabarino - rubro gloriatur. Vulgaris est species, ad truncos putridos ubique occurrens; autumno, hyeme tepidâ, vere.

272. T. nigripes.

β, cordata

δ, vulgaris

In *β*, *peridium* plus minus compressum, modo obcordatum, modo subglobosum. Utraque ceterum varietas aeque fere frequens nobis, epixyla praesertim. Antecedenti coaeva.

273. T. ovata.

Agmen dense stipatum. Saepe omnino figurae indicatae respondet *peridium:* attamen et teretiusculum, etiam medio subcontractum, quandoque vidimus. Corticibus variis copiose innascitur: perennis fere.

274. T. olivacea.

Situs sparsus vel congestus. *Membrana* saepe subjacet satis firma. *Forma* inter praecedentem et sequentem quasi media: *color* ab utrâque discrepans: species tamen jure suspecta. Truncigenam passim habuimus autumno, vere.

b) *Subglobosae.*

275. T. nitens.

Cinnamomea plerumque: colore tamen etiam variat luteo, flavo, imo ochroleuco, quo insignem semel in trunco abiegno invenimus caespitem (*Moholzer Haide*)

Aprili. Crebra ceterum occurrit species elegantula non epixyla tantum, verum et intra acervos humentes quandoque epiphylla. Perennis.

276. T. varia.

α, diluta

β, subrufescens

Var. *α*, poridiis magis rotundis, corticibus, muscis, Brassicae caulibus semiputribus siccis etc. inspersa hinc inde obvenit. Nec *β*, infrequens est, truncicola, peridiis utplurimum reni- seu fabaeformibus. Autumno inprimis et hyeme.

c) *Filiformes.*

277. T. Serpula.

Breviores profecto sunt descriptiones, quam ut, cuinam potissimum varietati accensenda sit nostra, pronunciare audeamus. *Colorem* e flavo subfulvescentem primordialis jam, mollissima, pulposa, plenum nec ullatenus dein mutatum ostendit: domum ita delatam, intra paucos dies perfecte maturatam, *capillitium* suum profundentem vidimus. Ad unciam et ultra lumbrici ad instar flexuosa serpit, semilineam lata, teres aut subdepressa. Truncos betulinos aliosque passim colit. Autumno praesertim tardiore.

24. ARCYRIA.

278. A. leucocephala.

Nos fungum, ni quis proprium genus praeoptaret, *Physaris* adscriptum mallemus. Etenim huc non habitu tantum, situ, loco, capillitio, pulveris indole atque colore accedit; sed ne peridium quidem ad amussim adeo, ac *Arcyriarum* mos est, circumscinditur, nec superior ejus pars tam subito evanida aliquamdiu potius post diruptio-

nem etiam persistit. Tempore pluvio ad muscos, ramulos, folia etc. rejectamentorum admodum crebram invenimus hanc speciem Jun. Jul.

279. A. flava.

Fungillus elegantissimus cortices truncosque varios, caespitosus utplurimum, passim ornat. Minime infrequens, tempore item inprimis aestivali.

280. A. cinerea.

Reliquis aliquanto minor, tota incana. *Capillitium* teretiusculum, satis elongatum. Haud itaque *A. puniceae* similem dixerimus. Ad ligna, ramulos, stipites etc. hinc illinc crescit: aestate, rarius autumno.

281. A. incarnata.

Species vulgaris ligna pinea, abietina etc. occupat, paene sessilis interdum. Aestate, autumno, hyeme.

282. A. punicea.

Pulveris color pulcherrimus, vivide puniceus: at eo difflato *capillitium* (exacte ceterum ovatum) subcinereum, in griseo-rutilum ob particulas pulvisculi residuas vergens, apparet. In hoc fortasse statu fungus cum *A. cinereâ* diversissimâ nonnumquam permutatus fuit. A maturitate quâcunque de caussâ prohibitus, induratus semipellucens corneus eleganter granatinus tereti-truncatus persistit. Epixylus ceterum congenerum more, frequens, perennis.

25. STEMONITIS.

a) *Elongatae.*

283. S. leucostyla.

Peridii e coeruleo violacei fulgor chalybaeus. *Stylidium* breve, crassiusculum, album, farinâ concolore detersili saepe tectum. Abunde provenit locis udis umbro-

sis, teotis vel sylvaticis: ubi domicilio solito foliorum, stipitum, caulium etc. siccorum non contenta, plantas etiam vegetas virentes (*Rubos*, *Oxalidem Acetosellam* etc.) haud raro obducit. Aestate, autumno.

284. S. typhina.

Gregaria utplurimum, sed non fasciculata. Adest *quidem membrana* subjacens, at tenera et saepius obliterata. Habitat in truncis lignisque putridis passim frequens, praecedenti contemporalis.

285. S. fasciculata.

Vulgata species non truncos tantum et muscos sylvarum udarum occupare satagit, verum et in aedes usque ac conclavia penetrans circa lavacra in asseribus humidis nonnumquam degit. Per totum fere annum reperiunda.

286. S. Tubulina NOBIS.

S. magna pulvinata subhemisphaerica, stylidiis gregariis circinantibus, capillitiis elongatis cylindraceis in massam pulveraceam fuscam connatis, apicibus obtusis prominulis lucidis nigris.

Magnitudo quidem, forma circumscripta, capillitia in corpus unum coadunata — facie admodum alienâ hanc induunt: attamen si quis varietatem antecedentis insigniorem dicere maluerit, haud adeo multum recusabimus. Primo obtutu *Tubulinam* se simulat. Initialis pro generis more tota lactea mollis. *Diameter* plerumque 1½/2 unciarum: *altitudo* 4/6 linearum: *forma* perfecte orbicularis, rarius suboblonga. *Membrana* basin communem constituens valida pellucens argentea, luci obversa iridis coloribus saepe ludens, facile utplurimum a solo natali solubilis, *stylidia* gestat fusca tenuia capillaria aggregata, sed tamen inter se prorsus libera, circinatim undique convergentia, a mole superimpositâ depressa indeque decumbentia: *pulvis* copiosus fuscus compa-

ctior (difficilius diffIabilis), *capillamento* laxo intertextus, in volumen commune coalitus est, cujus *superficies* glaberrima lucens, suprà colliculos hemisphaericos, qui sunt capillitiorum singulorum *apices*, regulariter dispositos ostendit. Minime infrequens *Pinum* mortuam decorticatam, nec aliam hactenus arborem, constans *Lycogalactis atri* comes, passim incolit. — Vere, aestate.

b) *R o t u n d a t a e.*

287. S. papillata.

Stipes in nostris constantissime brevis, capituli diametro parum longior, firmus, strictus: superior ejus pars intra *capillitium* densius ita occultata, ut transspici nequeat. *Peridium* fugacius quidem, quam ut unquam integrum lacerumve deprehendere potuerimus; reliquiae tamen minutulae circa papillam residuae de colore ejus argenteo - cinereo certiores nos fecere. Cortices lignaque *Pini* aut *Abietis* amat, in quibus hinc inde occurrit aestate et autumno.

288. S. physaroides NOBIS. Tab. II. f. 8.

S. atrofusca, peridio persistente tenui demum lacero cinereo - argenteo splendente, capillitio globoso subcompacto, stylidio semipenetrante.

Species inter praecedentem sequentemque media intercedit, cum neutrà conjungenda. Differt ab *illà* stipite longiore laxiore nonnisi ad centrum fere capituli intrante: ab *hâc* capillitio perfecte globoso compactiore, stylidii apicem, etiamsi luci obvertatur, celante — porro et peridii colore: ab *utràque* peridio diu persistente, in Physari speciem fungillum nostrum vestiente. Tenue est hoc, tenerum, splendore argenteo micans, argento opificum lamellari incrustatorio, quod *Silberblättchen* vocant, aequiparabile; lacerum demum frustatim perit,

denudatum retrolinquens capillitium, quod dein nonnunquam subtus leviter excavatum observavimus. In sylvarum imis penetralibus umbrosis paludosis (*Moholzer Haide*) truncos paucos *abietinos* dejectos, putredine jamjam solvendos, fungi eleganttuli agminibus longe lateque obtectos vidimus Augusto et Septembri.

289. S. ovata.

α, atro - fusca

Stylidium longum, sursum debile, unde plerumque nutat *capillitium*; quod postquam pulvere suo orbatum est, e rubello eleganter purpureum stylidii apicem oculo scrutatoris subducere prae laxitate non amplius valet. *Peridium* fugacissimum utique est: semel tamen bisve in exemplis loco tutiore adultis frusta ejus aliquot tenuissima lacera semisoluta, colore praepulchro chalybaeo fulgentia, videre contigit. Pervulgata species in lignis nudis quercinis aliisque, apprime pineis. Aestate, autumno, hyeme.

26. CRIBRARIA.

A. DICTYDIA.

290. C. cernua.

Reticuli fabricâ a reliquis omnibus mirum quantum recedit. Est e vulgatissimis, congenerum more truncos putridissimos, *Pinorum* praesertim generis, colens. Aestate, parcius autumno.

291. C. microcarpa.

Color pulveris lutosus, rufi quid subadmixtum monstrans. *Reticulum* circa stipitis insertionem paullo arctius textum. Ad ligna *pinea* putrida dejecta hinc inde, sed infrequentior, occurrit species elegantula. Julio, Augusto. (*Moholzer Ziegelscheune*).

292. C. venosa.

α, *flavescens*

ββ, *fuscescens*

Gaudet et haec *reticulo* a ceteris diversissime constructo. Crescit α, in truncis lignisve loco udo dejectis putrefactis *abietinis* minime parca. Solum natale prorsus simile passim occupat ββ, discrepans *peridiis* minoribus, *nervis* primariis paucioribus (5—8) multo laxius parciusque ramosis, colore *pulveris* opaciore e fulvo fuscescente: propriâ forsan specie digna. Utraque Julio, Augusto.

B. CRIBRARIAE.

293. C. purpurea *Schmidel.*

Species distinctissima in *Synopsi* cur omissa? Maxime cum bonâ *Schmidelii* icone illustrata sit. Totius generis maxima et longe speciosissima, colore vivide purpureo insignis. Duos hactenus novimus truncos *abietinos* vetustos, quos mirâ obtegit copiâ: alterum (*Moholzer Haide*) totum adustum, ubi ipsissimo innascitur carboni; alterum (*Schöpswiesen*) merâ putredine semidestructum. A Novembri in Maium usque.

294. C. macrocarpa.

Primordialem primâ vice lectam, mollem, amorpham, *Mesentericam coeruleam* esse suspicati, domum tuleramus: ubi maturata metamorphosi inopinatâ hanc sese prodidit. Color opacus spadiceus, in rufum saepe subvergens. Frequens provenit locis suetis; Julio, Augusto.

295. C. rufescens.

α, *fulva*

γ, *intermedia*

Utraque in *Abiete Pinove* putrefactâ ac paene consumtâ hinc illinc reperta; ineunte Augusto.

296. C. argillacea.

Immaturae *peridia* mollia mucilaginosa nigricant: quae domum etiam transportata intra aliquot dies facile maturescunt. Species admodum vulgaris ligna cariosa putrida, inprimis *pinea* et *abiegna*, ubique incolit agmine denso. A Junio in Septembrem usque.

297. C. vulgaris.

α, lutosa

ββ, rufa

Nomen specificum utraque, praesertim tamen *α*, jure meritoque suo gerit: locis saepius jam dictis trivialis. *ββ*, colore pulveris sordide rubro-rufo differt. Aestate, autumno.

298. C. aurantiaca *Schrader*.

α, aurantia

ββ, flava

Praeter caussas a cl. *Schradero* allegatas inprimis etiam var. nostra *ββ*, colore pulveris ab argillaceo nimis abludente, laete nimirum sulphureo-flavo, insignis speciem hanc a praecedente sejungere nos jussit. Loca generi solemnia incolit *α*, parcior — *ββ*, frequentior. Julio, Augusto.

299. C. tenella.

ββ, macropus

Stipes elongatus, forma, habitus fungillum primo obtutu *C. microcarpae* simillimum sistunt: verum accuratius sub lente examen iconi descriptionique *Schraderi* pede longo excepto congruentissimum hûc accensendum docet. Rarus et pulchellus in *Pino* semel lectus (*Büttnerwiese*) Augusto.

OBS. 1. Ad peridii fabricam ejusque cum reticulo nexum in utrâque familiâ, *vel genere potius*, quod attinet, non possumus, quin in cel. *Schraderi* sententiam.

naturae aggruam constanter inventam, prono pede abeamus. Ita *Dictydiorum* peridium pellucentissimum quidem at integrum totumque clausum, nec nisi pulveris profundendi caussâ anomale deinde ruptum, v. g. in *C. cernuâ* oculos modice armatos, imo nudos paene, haud difficulter subit: ita in *Cribrariis* reticuli a peridio liberi eoque inclusi nil umquam conspicari licuit et s. p. Quare utrumque porro genus Gymnospermis adnumerandum potius esse, cum viro de fungillis hisce illustrandis praeclare merito prorsus consentimus.

OBS. 2. De generum octo fere postremorum tempore natali restat, ut in universum moneamus, quod sigillatim jam saepenumero indicandum fuit: species videlicet, *Trichiis* exceptis, reliquorum et apprime quidem *Didermatis*, *Physari*, *Dictydii*, *Cribrariae* generum plerasque, atmosphaerae cum calore humentis amantissimas, aestatem pluviam in nostris certe regionibus longe praeferre autumno, ac inde, vitâ aestivali laete gregatimque peractâ, multo parciores tantum minusque perfectas seriore anni tempore adesse.

FAMILIA II.

GYMNOSPERMI.

37. LICEA.

300. L. bicolor.

α, calcicola

ββ, lignatilis

De var. *α*, cf. *Ic. pict.* p. 6. tab. III, 4. 5. (icon optima). *Peridium* punctulis potius quam rugulis adspersis

scabrum, ceterum nitidum, atrum, vix tantillum virescens: colorem ejus profunde atramentosum seu atrocoeruleum dicere mallemus. *Fila* parca, solitaria. *Columellam veram* (i. e. peridiolo proprio distincto instructam, pulvere discolore farctam) nullam detegere licuit. Sparsam gregariamque, luti vetusti calce obducti fragmentis (*Brüdergarten*) innatam, semel invenimus speciem raram et elegantem. A quà differt ββ, staturà paullo majore, peridiis hemisphaericis hemi-ellipsoideisque e badio fusco nigris, ac loco natali: at notae reliquae ad unam omnes (inprimis etiam pulveris indoles colorque) adeo exacte consonae, ut sejungi nequeat. Hanc quoque nonnisi semel, sed frequentem, aggregatam et sparsam, ad ligna *pinea* fabrefacta (*Quolsdorf*) reperimus. Vigebat utraque medio Junio.

301. L. circumscissa.

α, populina

ββ, abietina

Variat α, peridiorum magnitudine coloreque dilutiore vel profundiore: in *Populi tremulae* corticibus ac lignis autumno tardo, hyeme, et vere praesertim, passim haud infrequens. Distat ββ, colore peridii e badio nigricante et *membranâ* inprimis subterjacente validà semipellucidà fuscescente: unde verba „membrana subjacens nulla" e charactere generico eliminanda erunt. In cortice *abietino* (*Moholzer Haide*) Septembri.

302. L. pusilla.

Peridium aetate medià e ferrugineo dilutius badium: profundius dein ac pulchre castaneum evadit. Ita et *pulvis* opace rufo-ferrugineus demum nigricat: Nicotianae ferme pulveri sternutatorio per varias coloris adumbrationes aequiparandus. Ligna putria *pinea* (nec abiegna hactenus) frequens colit Apr. Mai. Jun.

303. L. **strobilina** NOBIS. Tab. VI. f. 5.

L. dense aggregata celluliseda oblonga subrotundaque regularis, peridiis rufo-fuscis subcircumscissis, pulvere sordide flavicante.

Cellulis ligno insculptis arcte congestis denso agmine insident *peridia* majuscula regularia hemi-ellipsoidea seu subhemisphaerica supra planiuscula: *cortex* eorum simplex solito durior tenaciorque, e rufo-fusco passim nigrescens, opacus, laevis, varie dehiscit. Saepe enim circumscinditur, fissurâ modo rectilineâ ad amussim quasi sectâ, modo plus minusve abnormi: est tamen etiam, quando vertice inaequaliter hiat. *Pulverem* includit grossiusculum farinaceum subcompactum, filis vix ullis mixtum, sordide flavescentem, interdum mere albidum vel pallidum. Discrepat itaque a *L. circumscissâ* staturâ duplo triplove majore, colore (praesertim pulveris), situ constanter arcto cellulari etc.: a *L. variabili* formâ regulari, peridio simplice robusto, situ alienissimo etc. Solum natale pertinacissima sibi eligit prorsus peculiare: nidulatur enim in *Pini piceae* strobilis vetustis semiputribus, quos fundum paginae squamarum superioris circumquaque occupans distendit mireque divaricat. Passim, nec adeo rara, reperitur autumno et vere.

304. L. **incarnata** NOBIS. Tab. X. f. 6.

L. varia subconfluens subtrichosperma carneo-chalybaea nitens, pulvere ex albido deinde incarnato.

Species excentrica, si quae alia, anceps in bivio inter *Liceas Trichias*que haeret. *Fila* enim modice numerosa peridio aperto subassurgunt: attamen nec capillitium verum compactum constituunt, nec elastice illico ore hiante expanduntur. Porro et color, habitus, forma *Liceam* potius suascre. Fungilli sunt polymorphi, hemisphae-

rici, ovales, sublineares, flexuosi etc.: vel sparsi vel aggregati, hinc illinc confluentes. *Peridium* eleganter carneum, lucidum, micore chalybaeo nitens, tenue, rigidum, fragillimum, inaequaliter prorsus dissilit: *pulvis* farinosus, primo dehiscentiae momento albidus vel tantillum saltem carneus, ad liberum aëris contactum mox intensius incarnascens in roseum denique colorem vergit. Rarissimus fungus et memoratu dignissimus semel ad lignum *abietinum* nudum dejectum putre locis udis sylvaticis (*Moholzer Haide*) inventus fuit. Exeunte Octobri.

28. TUBULINA.

305. T. fallax.

Fungus admodum sane rarus ter, sed nonnisi maturus, a nobis repertus est: 3—4 uncias longus, 2 ferme latus, formâ effusâ. Ad truncos putrescentes *abietinos* (*Moholzer Haide*) locis diversis epixylus. Jun. Sept. Oct.

306. T. fragiformis.

Fragi color, in opacius rubrum deinde mutatus, in vivacius sordidiusve (subterreo-) ferrugineum demum transit. In truncis vetustis variis frequens. Aestate et autumno.

29. MUCOR.

a) *Ramosi.*

307. M. flavidus.

Crescit praesertim in *Boletis* succulentis putrescentibus passim Aug. Sept.

308. M. Aspergillus.

Perquam elegans, exactissime ramulis varie curvatis di-

chotomus, arbusculiformis, *Lini Radiolae* L. memoriam revocat. *Agaricos* putres varios incolit, perfectior sub dio; sed domi etiam fungos in capsulis stanneis aliquamdiu asservatos nonnumquam infestans. Septembri.

b) *Simplices.*

309. M. Mucedo.

De var. *α*, *Persoonianâ*, quam, b. *Tode* sententiam secuti, ad *Ascophorae* genus ablegavimus, cf. quae infra dicentur. Var. *β*, autem, praeter alia vel capitulis fugacibus diversissima ac hûc procul dubio pertinens, quam molesta copiâ suâ locis humidioribus omnia vexet et destruat, nemo nescit. Perennis.

310. M. caninus.

Stercora passim obtegit animalium variorum, locis humentibus sylvaticis vel alio modo umbrosis jacentia — succerdas, muscerdas etc. coelo praesertim madente. Vere et autumno.

311. M. murinus.

Persistentior quidem antecedente, curtior et firmior est: capitulo etiam demum turbido ad *Stilba* accedit. *Mucoribus* tamen, quibuscum luculento stipitis incremento et evolutionis universâ ratione convenit, cum cl. *Persoonio* accensendum potius judicarimus — cum praecedente ceteroquin etiam loci colorumque affinitate junctum. Semel ad dumeta umbrosa (*coemeterii Jänkendorfensis*) in stercore *passerino* exempla adolescentia maturaque mixta inventa. Novembri.

312. M. tenellus.

Ramulos aliasve quisquilias locis udis umbrosis dejectas, etiam *Agaricos* putridos, minime rarus incolit: sed omnium facile tenerrimus totusque pellucens vix observatur, ac detectus etiam, ni lentem illico adhibueris,

spe tuâ caducissimus te fallet. *Styli* in nostris distincte constanterque simplices. Autumno, rarior vere.

313. M. herbariorum.

Peridia interdum, tomenti filum unum alterumve secum attollentia, stipitata sese mentiuntur. Extra herbaria etiam panis indurati mucidorumque lignorum incolam passim vidimus. Hyeme, vere.

30. CHORDOSTYLUM TODE.

Fungus stipitatus, tenacissimus: *capitulo* globoso, interne fructificante, subdeciduo; *stipite* longissimo subramoso.

314. C. capillare *Tode*.

De genere, quantumvis ulterius examen requirente, id tamen pro certo constat — medio inter *Mucoris Himantiae*que genus loco positum, ab *illo* fabricae tenacitate ac longaevitate, ab *hoc* fructescentiâ mucoriformi magis differre, quam ut cum alterutro conjungi queat. *Capitulum* fatiscens, pulveremque, quem vocat b. *Tode*, sementivum emittens nos quoque semel bisve conspicati sumus. *Stipites* valdę demum elongati ac flexuosi, Himantiae cujusdam vel Rhizomorphae aemuli, praeter farinae baseosque stellaris defectum *Himantiae farinaceae* (quae an *Chordostylum hispidulum Tode?* cf. quae infra notabuntur) haud absimiles sunt: sed quam diversa utrique fungo historia, facile patet. — In quisquiliis vegetabilibus humi jacentibus hortorum, agrorum etc. coelo pluvio minime infrequens. Vere et aestate.

31. ONYGENA.

315. O. equina.

E farinae albae acervulis stratisve subeffusis fungilli assurgunt primordiales amorphi pulvere toti obtecti, in

speciem deinde hanc sensim effigurati. *Stipites* passim duo deorsum coaliti exemplar sistunt ramosum. *Peridia* recentia ac illaesa valde furfuracea sunt in nostris, vel potius verrucosa *Lycoperdorum* ad instar: sed detrito dein furfure laxius tantum inhaerente, laeviusculam faciem ostendunt. *Pulverem* quotiescunque per vitra augentiora contemplati sumus, filis perparcis quidem at evidentibus tamen mixtum vidimus. *Capitulum* totum demum (cortex pulvisque junctim) vel anomale circumscissum vel alio quocunque modo in frusta dilapsum interire solet. Ungues praesertim *equinos* putredine emollitos (*faule Brücken; Schinderleibchen* abunde) occupat: inventa tamen in ungulâ etiam *bovinâ* (*Basalthügel*), et tota quidem unicolor alba. Aestate ac autumno inprimis seriore.

316. O. corvina NOBIS. Tab. IX. f. 2.

O. gregaria, capitulo orbiculari pallido - fuscescente granuloso, demum subcernuo denudato pulverulento; stipite laeviusculo tereti candido, dein elongato conico - attenuato sursum incurvo.

Fungi junioris erecti stricti *statura* praecedente paullo minor, 2 — 3 linearum: *stipes* tum temporis firmus, crassiusculus, brevis est; *capitulum* maturescens pallidum *cortice* cingitur minute farinaceo seu granuloso. At vero stipes dein ad semunciam fere paullatim excrescendo prolongatus, simulque valde attenuatus, capitulo porro jam sustinendo impar factus incurvatur: unde hoc plus minus plerumque nutat, eâdemque ferme aetate cortice varie rupto frustatimque ac sensim deciduo totum denique orbum *pulverem* monstrat tegmine suo denudatum, fuscescentem, *unguenti* partim cujusdam, partim tamen etiam *filorum* luculentorum praecedente paullo frequentiorum ope cohaerentem ac aliquamdiu persisten-

tem. Stipes ceterum candidus, nec nisi demum e pallido fuscescens, sericeo-nitens, substriatus, superficie haud raro undulatus, nonnumquam compressus et decumbens, rarius cum vicino semiconnatus, crassior deorsum pro capituli ratione quam in *O. equinâ:* quâ ipsum etiam capitulum triplo paene minus est, stipitisque basin diametro minus excedit. Facies de reliquo stipitis laevis aut subfibrillosa. *Structura interna* cum antecedente specie convenit. Notabilem fungum in pennis ossiculisque superstitibus cadaveris unici *corvini* (*Corvi Cornicis L.*) putredine jamjam conficiendi, loco umbroso jacentis, invenimus; sed frequentem aetatesque suas tantum non omnes simul ostentantem. (*Sproizer Hügel*). Septembri, Octobri.

OBS. Loco parum utique idoneo genus hocce inter *Mucores Aecidia*que stare videtur. Ex nostrâ certe sententiâ, observationibus de pulvere subfilato supra enarratis innixâ, prope *Tulostomata* et *Lycoperda*, formae, tegumenti, habitûs affinitatem haud abnegandam prae se, quâ huc accedunt, ferentia — translocandum erit.

32. AECIDIUM.

OBS. Tribûs duas primarias commode admittit genus civium neutiquam inops. Quarum altera species complectitur *frondicolas*, in arborum nimirum herbarumve frondosarum foliis aliisque partibus succulentis degentes, *os* peridii aperti in dentes laciniasve subaequales *regularius fissum* aut subintegrum gestantes: altera *acicolas*, in foliis, ramulis, corticibus arborum acerosarum resinosis parasiticas, *margine* oris hiantis *inaequaliter prorsus lacero* conspicuas, porro compressas utplurimum matricisque substantiae minus immersas. Ulterius dein familia utraque in Sectiones duas iterum, a cl.

Persoonio institutas, subdividi poterit; specierum videlicet *caespitosarum*, peridiis in maculas coloratas aggregatis insignium — et *simplicium*, peridiis sparsis maculâ communi carentibus instructarum.

A. FRONDICOLAE.

a) *Caespitosi.*

317. A. cornutum.
Peridia maculae suae mox sparsa insident, mox subfasciculata, longitudine varia. Species in *Aucupariae* foliis vulgaris. Autumno.

318. A. cancellatum.
In *Pyri communis*, sylvestris aeque ac hortensis, foliis hinc inde frequens. Aug. Sept. Oct.

319. A. Oxyacanthae.
Laciniae deinde valde divaricatae. *Macula* sordide ferruginea: *pulvis* opacus, fuscus. *Caespites* parum convexi. Species aestate siccâ rarior, coelo pluvio satis frequens loco suo occurrit: fungorum omnium, et speciatim etiam epiphyllorum, de quibus jam agimus, notissimo more. — Junio, Julio.

320. A. penicillatum *Oeder*.
Cf. *fl. dan.* tab. 839. A. convexum ferrugineum, peridiis in lacinias suberectas ad medium fissis. Affine omnino praecedenti, quocum maculae pulverisque colore et peridio laciniato convenit: verum *laciniae* breviores sunt, ad medium fere peridii cylindrum decurrentes, minusque divaricatae. Differt praeterea *caespitulis* convexioribus, *peridia* parciora sed majora nutrientibus, locoque natali. *Colore* nonnunquam variat pallescente. In foliis *Pyri Mali* hortensis (*Anstaltsgarten*) haud infrequens. Septembri, Octobri.

321. A. Galii.

ββ, ambiguum

Oblongum vel subrotundum purpureum, peridiis albidis, pulvere flavo. *Macula* applanata; initio pallida, dein purpurascens, opacior demum, fuscescens. *Peridia* sparsa, rarius aggregata, dentata: *pulvis* flavus, in aurantium vergens. Nostram inde, propius ad *A. Prenanthis* quam *Rumicis* accedentem, ab *α*, satis diversam esse patet: ob loci tamen affinitatem huc tantisper relata fuit, praesertim cum *α*, *recens* coloribus saltem minus absonis gaudere putanda sit. In nostro enim genere exempla sicca, qualia cl. *Persoon* coram habuisse videtur, maculas haud raro opaciores, pulverem contra expallidum, ostendere solent. Legimus hanc ad dumeta umbrosa elata (*See*) in *Galio Aparine* passim epiphyllam: similem, sed paullo dilutius coloratam, locis acclivibus herbosis (*inter Rengersdorf et Cunnersdorf*) in *G. sylvatico* frequentem. Junio, Julio.

322. A. Rumicis.

β, Grossulariae

γγ, Serratulae

Rubedo in *β*, maculae sanguinea centralis: margo flavescente-pallidus. Crescit in foliis *Grossulariae* passim — *Ribis rubri* (in horto nostro) rarior. Var. *γγ*, maculis praesertim minoribus, obscurius sordidiusque pictis, distat. *Maculae* solitariae crassiusculae suborbiculares e rufo fuscae, margine pallidae. *Peridia* dense plerumque conferta, parum prominula, pallentia. In prato humidiusculo (*Hungersnoth*) folia radicalia *Serratulae tinctoriae* minime parca incolit. Viget utraque var. Maio et Junio.

323. A. Prenanthis.

Macula rosea vel dilute purpurea; *peridia* sparsa saepe

eam subcircinatim ambeunt, mox curtato-conica, mox teretia; *os* vel integrum, vel dentatum. Speciem colore pulchello insignem in foliis petiolisque non modo *Prenanthis muralis* (*Sohlander Berg*) sed et *Hieracii paludosi*, in udis umbrosis loco unico (*Moholzer Haide*) abundantem, paullo profundius rubentem, invenimus. Maio, Junio.

324. A. crassum.

α, Rhamni

β, Ficariae

Species omnium vulgatissima, sed brevioris aevi: prae ceteris enim a larvâ quâdam aurantiâ avidissime devoratur. Onerat *α*, coelo vernali madente *Rhamni* utriusque (*cathartici* aeque ac *Frangulae*) folia, petiolos, pedunculos, flores, baccas: longe lateque saepe effusa, matricem inflans atque distorquens, eminus fulgens. *Peridia* in perfectioribus ad semilineam et paullo ultra haud raro elongata iconem *A. Rhamni* a *Persoonio* datam (*Obss. myc.* I, tab. 2. fig. 4.) formâ paene adaequant; sed colore differunt. Var. *β*, minor, paullo tenuior dilutiorque, herbas polyandras varias vexare videtur. Praeter *Ficariam* enim, sedem ejus vulgatam, in *Ranunculi* etiam *bulbosi*, *Calthae palustris*, *Aquilegiae vulgaris* sterilis foliis hinc inde, quamvis parciorem, legimus: postimo praesertim loco excellenter vegetam, peridia in cylindros proceriores modo descriptos obtusos, saepe admodum numerosos, protrudentem (*Monplaisir* in monte). Aprili, Maio, Junio.

325. A. Asperifolii.

α, Asperifolii

ββ, Urticae

Var. *α*, rarior nobis: hinc inde tamen in *Symphyti Boraginis*que *officinalis* (*Anstaltsgarten*) foliis reperta.

Julio, Augusto. Var. ββ, in caulibus petiolisque *Urticae dioicae* tempore pluvio aliquoties lecta, specie forsan sejungi posset: cauligena ingens valde bullata hemiellipsoidea e flavo sordide ochrea, maculâ subobliteratâ, peridiis subsparsis immersis albidis. *Longitudo* in perfectioribus uncialis, *latitudo* et *crassitudo* semuncialis fere: *forma* hactenus constans. *Bulla* insignis, substantiâ caulis interiore (cortice, libero, medullâ) distentâ laxiore farcta. *Peridia* fere tota immersa, albentia, margine revoluto latiuscule dentato conspicua — *marginalia* satis conferta, *centralia* sparsa, inter quae superficies caulis colore suo virente passim transmicat, *maculâ* plus minus obsoletâ. *Color* sordidus ab *α*, et magis etiam a specie praecedente diversus. (*Lohgruben; See; Diehse*). Ineunte Junio.

Tab. X. f. 2. 326. A. Violae NOBIS.

A. caespitosum suboblongum effusumque subtus excavatum, maculâ e viridi purpurascente subobsoletâ, peridiis sparsis pallidis, pulvere aurantio - rubello.

Caespitulus orbicularis, saepius ovatus vel oblongus, etiam subdifformis; subtus, ubi folio insidet, valde inflato - excavatus, folii tamen ipsius substantiâ solito vix crassiore: ubi in petiolos caulesque effusus est, more antecedentium fere, licet minus insigniter, bullatum sese exhibet. *Macula* colorem nativum viridem purpureo mixtum monstrat. *Peridia* dentata albida. Provenit species elegans locis elatis siccioribus apricis dumosisve (*hohe Strafse; Hungersnoth*) aliquot locis non infrequens. Maio, Junio. In *Violâ caninâ* sterili aut defloratâ.

327. A. Tussilaginis.

Species in regionibus nostris rarior: nonnisi Herrnhutii hactenus loco unico (*an der Petersbach*) in *Farfarae* foliis inventa. Septembri.

328. A. Berberidis.

Macula flava crassiuscula; plerumque minor subrotunda, passim tamen etiam ad 3—4 lineas effusa minusque regularis. *Pulvis* laete aurantius. Nimis forte affinis haec species *A. crasso* inprimis *β*,. Crescit in foliis *Berberidis vulgaris* ubique frequens. Junio, Julio.

329. A. Orobi.

Macula alba parum expressa; *pulvis* sordide flavus. Parcior nobis species; aliquot tamen locis in caulibus foliisque *Orobi tuberosi* nemorosi (*Buchenwäldchen; Hungersnoth*) lecta fuit Maio.

330. A. Ranunculi.

Recedit in nonnullis fungillus noster a *Persooniano:* varietatis forsan in loco juxta illum collocandus. *Macula* vel obliterata albescens, vel prorsus nulla. *Peridia* alba, in exemplis completioribus valde conferta ac inde subcompressa, sed vix flaccida dicenda: *dentes* mox distincti latiusculi revoluti, mox nulli: *pulvis* satis vivide aureus. In petiolis, nervis, foliis *R. repentis* passim, nec alibi. Maio, Junio.

b) *Simplices.*

331. A. Euphorbiae.

Crescit in foliis *Cyparissiadis* (*Monplaisir*), rarius *Esulae* (*Görliz*) — sterilis utriusque. Maio et seqq.

332. A. Anemones.

Primo totum album: tandem pallescunt *peridia.* Folia fungillum alentia contracta, minora, longius petiolata. In *A. nemorosâ* passim. Maio.

333. A. punctatum.

Fungus junior punctiformis clausus semiglobosus fuscus, apice punctulo albo notatus. *Peridia* dein aperta satis magna sunt, albida, semi-immersa: *ore* in nostris con-

stanter dentato, *dentibus* 3/5 latis, revolutis, folio horizontaliter incumbentibus. In foliis *A. ranunculoidis* (*Sohlander Berg*) parcius. Maio. (*Pulvis* compactus violaceo-fuscus).

B. ACICOLAE.

a) *Caespitosi.*

Tab. V. f. 5. 334. A. abietinum NOBIS.

A. maculâ luteâ, peridiis parallele seriatis nudis sparsis vel subconfluentibus oblongo-compressis albidis apice dentato-laceris, pulvere aurantio.

Macula circumscripta, luculenta, vivide lutea, in aurantium nonnunquam vergens, visum e longinquo attrahit. *Peridia* interdum teretiuscula: sed plerumque compressa formâ aeque ac magnitudine ad *A. Pini* proxime accedunt. *Os* fungilli aperti inaequaliter dentato-lacerum tribui A, aliquanto propius sequentibus existit: *dentes* tamen in icone nostrâ justo regulariores apparent. In foliis *Abietis* (propaginum inprimis novarum) maculae *steriles* dilutiores vulgatae: nec *fertiles* (praesertim subtus) aestate pluviâ rarae. Junio, Julio, Augusto.

b) *Simplices.*

335. A. Pini.

Epiphyllum valde compressum, staturam fere in *Synopsi* indicatam servans, vulgare: epixylum in ramorum ipsiusque trunci cortice rarius, multo majus, ad semunciam usque longum, 3—4 lineas altum, bullatum, minus compressum; eo v. c. aggregato totam aliquando arbusculam (*Trebusser Allee*) paene obtectam vidimus. Arbores praeamat juniores: folia per series duas parallelas plerumque occupans. Maio, Junio.

336. A. columnare NOBIS. Tab. V.
A. simplex tenue nudum cylindrico-elongatum apice lacerum album, pulvere aurantiaco. f. 4.

E *pustulis* exilibus hemisphaericis *cylindri* paullatim assurgunt apice obtusi, elongati demum ac vertice lacero hiantes. *Longitudo* fungilli adulti $1/1\frac{1}{2}$ linearum; *diameter* pusillus, lineae vix $\frac{1}{4}$ aequans, oculum inermem fugiens: *forma* e basi paullo crassiore exacte teres, columnae cujusdam truncatae ruderi haud incommode aequiparanda. *Peridii* membrana tenerrima, pellucens, alba. *Situs* pro familiae more biseriatus — ceterum sparsus, nudus, nonnisi ipsâ basi (prout pulvere disseminato cylindroque demum toto abrupto et amisso distincte cernitur) semiimmersâ. Rarior et imperfectior *ramulos* — completa *acûs* recentes (veris vix elapsi progeniem) ceterum illaesas *Pini piceae* frequens incolit species elegantula. Jun. Jul. Aug.

337. A. elatinum NOBIS. Tab. V.
A. simplex immersum, peridiis ellipticis laceris pallidis, pulvere aureo. f. 5.

Transit ad *Uredines*. *Pustula* primo clausa depressa elliptica, rarius orbicularis; longitudinaliter dein lacera dehiscit, margine demum obsoleto. *Pulvis* vivacius dilutiusve aureus. *Longitudo* vix lineae 1. *Situs* sparsus vel subconfluens, biseriatus, immersus, erumpens: *habitus* fere *A. Euphorbiae*. Totam occupat paginam inferam folii, inde morboso-pallidi, contracti ac duplo-diminuti. Unicam arbusculam *Pini piceae* (*Moholzer Haide*) misere vexabat haec species Jun. Jul.

33. U R E D O.

A. RUBIGO.

338. U. mycophila.
Minus bene inter *Uredines* collocatus videtur fungus a toto reliquo genere alienissimus: quidni nomine in *T. parasiticum* aut *mycophilum* mutato ad *Trichodermata* transferendus? a quibus quonam charactere discedat, ignoramus. Praeter *Boletos* succulentos, quos praeamat, etiam *Hydna* varia non infrequens obvolvit. Autumno, inprimis Septembri.

339. U. confluens.

α, *Ribis*
β, *Mercurialis*
γγ, *Orchidis*
δδ, *Rhinanthi*

Omnes hae varr. conveniunt glomerulis prominentibus copiose pulverulentis, plus minus confluentibus et circinantibus. *α*, mediocris, dilutius ochrea, distincte circinatim confluens, pulvere admodum crebro — vel ob loci affinitatem hûc relata fuit, in foliis *Euonymi europaei* coelo pluvio aliquoties lecta Maio, Junio. *β*, major, saturatius ochracea, minus aequaliter disposita, rarior nobis, semel in *Mercuriali perenni* (*Sohlander Berg*) epiphylla inventa exeunte Maio. *γγ*, maxima, fulgore pulveris vivacissimo aureo oculos eminus alliciens, tota confluens, elliptice et aequaliter circinans: an species propria? Duo tantum fungi pulcherrimi exempla pratensia (*Hungersnoth*) in foliis *Orchidis conopseae* obvia nobis fuere: item sub finem Maii. *δδ*, parva, ex aureo demum miniato-rubra, nonnunquam a situ speciei nostrae solemni haud parum aberrat: at sunt etiam specimina, nec rara, in maculas orbiculares per confluxum

conglomerata. In *Rhinantho cristâ galli* epiphylla, abundans. Junio, Julio.

340. U. Alchemillae.

Epidermis albida dirupta latera occupat fungilli — in remotis montanis meridionalibus (*Herrnhut; Lausche;* etc.) pervulgati, sed propius nondum reperti. Maio, Junio.

341. U. Helioscopiae.

Abunde provenit α, loco suo inde a vere in autumnum tardum usque.

342. U. Rosae.

α, *Rosae*

ββ, *Ulmariae*

Vulgatissima ubique crescit α, in foliorum *Rosae centifoliae* paginâ inferiore, colore demum obscuriore. Var. ββ, fuscescens, tandem nigricans, ob situm ceteroquin et habitum sedisque affinitatem cum α, conjungenda, in *Spiraeâ Ulmariâ* aliquoties (v. c. *Seer Schloſsgarten*) epiphylla inventa. Utraque praesertim occurrit autumnalis.

343. U. miniata.

α, *Eglanteriae*

γγ, *Ulmariae*

Corticem trunci ramorumque, petiolos, pedunculos, calyces — foliis paene praefert α, in *Rosae* variis speciebus parasitica: a nobis in *R. Eglanteriâ*, *caninâ* et *centifoliâ* hactenus lecta. Maxima saepe in corticibus, lineariter utplurimum ebulliens: epiphylla minor et suborbicularis. γγ, minor nervisequa elongata bullatim erumpens vivide aurantia — in petiolis nervisque foliorum *Spiraeae Ulmariae* hinc inde. Utraque verna: Mai. Jun.

344. U. linearis.

α, *frumenti*

Sporulae globosae ecaudatae. In frumento vario abundantissima. Aestate.

345. U. Campanulae.

Praeter Campanulas (*C. rotundifoliam*, *patulam*, *rapunculoidem*, *Trachelium*) in *Phytevmate* etiam *spicato* occurrit species minime rara. A Maio in Octobrem usque.

346. U. Sonchi.

Colore laetiore opacioreque ludit. Vulgaris in *Sonchi arvensis*, parcior in *S. oleracei* foliis. Sept. Oct.

347. U. farinosa.

α, *Salicis*

β, *Senecionis*

Provenit *α*, in *Salice Capreâ*, passim etiam *S. albâ*, epiphylla — aestivalis et autumnalis. *β*, praeter *Senecione*s *viscosum* et *sylvaticum*, vulgatissimas ipsi sedes, *S.* quoque *saracenicum* passim frequens incolit, colore discrepans saturate aureo, subminiato. Viget item aestate et autumno.

348. U. Circaeae NOBIS.

U. minuta conferta suborbicularis ex ochraceo subincarnata, pulvere laxissimo fugace.

Colore ac inprimis *pulvere* omnium laxissimo facillime aufugâ a reliquis affatim distincta. *Glomeruli* aggregati, sed parum confluentes. *Sporulae* ovato-irregulares, exiguae, ecaudatae. Frequens in sylvis udis paginam inferam occupat foliorum *Circaeae intermediae Ehrh.* mox separata, mox ejusdem nominis *Pucciniae* intermixta. Autumno medio.

349. U. Rubi fruticosi.

Sparsa gregariaque. *Pulvis* plerumque valde laxus. Eligit sibi folia praeprimis vetusta semifusca, quibus vulgaris innascitur ac paene perennis.

350. U. Rubi idaei.

Magnam saepe sese exhibet, *diametro* 2 ad 3 lineas aequans: *pulvis* tum memorabili sane ratione annulatim circumcirca, epidermide folii in fungi centro residuâ, prorumpere solet. Habitat super foliis fruticis vel sylvestris vel hortensis passim, neutiquam rara. Vere ac aestate.

351. U. Ledi NOBIS.

U. sparsa aggregataque miniato - aurantia subcylindrica, pulvere laxo.

Folia hâc Rubigine tacta saepe solito magis evoluta latiora apparent. *Pustulae* fulvae maculis flavidis, per folii substantiam penetrando oculos jam desuper attrahentibus, sparsae gregariaeve insident: quae e primordiis planis dein ebullientes apice tandem rupto subteretes cernuntur, *pulverem* tum copiosum laxum saturate aurantium promentes. Itaque speciei hujus exempla perfectiora ad *Aecidia* accedere in aprico est. Parasitatur in *Ledi palustris* foliorum paginâ inferiore, tempestate humidâ hinc inde frequens. Maio, Junio.

352. U. Tussilaginis.

Abunde *Farfarae* foliis ubique innascitur: aestate et inprimis autumno.

353. U. populina.

α, populina

β, betulina

Utraque dense aggregata et passim confluens. Var. *α*, in *Populis* (*balsamiferâ* et *nigrâ*) hinc inde epiphylla, *Sclerotio populneo*, dum tota clausa est, colore excepto neutiquam dissimilis, suspicionem interdum nobis movit, anne fungillus iste ambiguus huc forsan pertinens *Uredinis* speciem nostrae proximam, sed praemature corruptam,

sistat? β, in *Betulâ albâ* passim occurrit. Aestivalis utraque et autumnalis.

354. U. pustulata.

α, *Epilobii*

β, *Cerastii*

γγ, *Vaccinii*

α, in *Epilobio tetragono* (*Moholzer Haide*) colore subochraceo, solo aprico sicciusculo — β, in *Cerastio vulgato* praticolâ (ad *Horke*) — utraque rarior, Junio. Var. γγ, minuta confertá in glomerulos collecta subrotunda dilute ochrea, clausa, demum aperta — colore rarius laetiore flavicante varians, in *Vaccinio Myrtillo* et *uliginoso* inferiori foliorum paginae insidens hinc illinc in sylvis reperta, sed parum frequens. Aestate et autumno.

355. U. Menthae.

α, *Menthae*

ββ, *Violae*

α, mediocris est, ochracea, demum obscurior: at fuscescentem vix vocarimus. Loco etiam quadantenus a *Persoonianâ* discrepat — in *Menthâ arvensi* et *austriacâ W.* passim frequens. Ab hâc ββ, sparsa prominens subglobosa laxe pulverulenta e flavo fusca, sub *Violae caninae* foliis proveniens, sejungi forsitan posset, ni specierum valde cognatarum justo major numerus jam esset. Occurrit haec in umbrosis, praesertim abietinis muscosis, vulgaris. — Utraque apprime autumno.

356. U. Sempervivi NOBIS.

U. sparsa parca major immersa elliptica vel orbicularis, pulvere ex ochraceo fuscescente.

Aeque ac praecedens ad *Nigredines* accedit. Intra carnem folii succulentam tota fere immersa nidulatur. *Pulvis* epidermide albicante, irregulariter tandem ruptâ,

quasi pseudoperidio inclusus translucet. — Pauca tantummodo speciei rarissimae exempla in foliis extimis vetustis semiputridis *Sempervivi globiferi* allata (*von der Lausche*) ineunte Junio.

B. NIGREDO.

357. U. scutellata.

Folia hâc Nigredine laborantia angustiora quidem nobis sunt et longiora iis, quae *Aecidium Euphorbiae* gestant; at multo latiora brevioraque sanis. *Puncta* sparsa parva fusco-nigra. Epidermis albens ad latera inaequaliter circumscissa finditur, *pulverem*que, sed parciorem, edit. In foliis *Cyparissiadis* (*Micke*) rarior. Junio.

358. U. Betae.

ββ, Convolvuli

Differt ab *U. Fabae* affini *colore* dilutiore magis in rubrum vergente, *sporulis* minoribus, locoque natali. Receptaculum saepe praebet *Pucciniae Polygoni*. Crescit nimirum in foliis *Polygoni Convolvuli* passim frequens, *Aviculariae* parcior: descriptioni ceterum *Persoonianae* exacte, etiam quoad *sporulas*, accommodata. Septembri.

359. U. suaveolens.

Planta a fungillo nostro infecta tota plerumque pallens e longinquo dignoscitur: ab incremento etiam saepe prohibita reliquis minor est. *Puncta* primitiva crocea minuta clausa crebra sparsa: adulta colore in fuscopurpureum mutato confluunt. Vulgaris loco suo viget Junio et seqq.

360. U. Fabae.

α, Fabae

ββ, Trifolii

Praeter *Fabam*, quam ingenti onerat copiâ, etiam in *Viciâ sativâ* (*Ödernitz* etc.) passim occurrit var. *α*, non-

nisi autumno appropinquante erumpens. Var. ββ, simillima, sed minor, sparsa, solitaria — in *Trifolio repente* (*Anstaltshof*) semel inventa fuit exeunte Septembri.

361. U. appendiculata.

α, Phaseoli

β, Pisi

Hab. utraque loco suo, nec rara: α, major et magis inquinans. Striam *sporularum* dimidiantem, quam ad γ, indicat cl. *Persoon*, in β, quoque observavimus. — Praesertim autumnalis.

362. U. flosculosorum NOBIS.

U. nigra, caespitulis sparsis minutis subrotundis pulvinatis, pulvere laxiusculo, sporulis inaequalibus subcaudatis.

Sporulae ex ovato irregulares, per examina saepenumero repetita aliae prorsus ecaudatae, aliae appendiculo brevi stricto praeditae constanter nobis visae. Praeter notas hactenus indicatas domicilio etiam distat a praecedente. In plantis enim flosculosis epiphylla, *Prenanthem muralem*, *Leontodon autumnale L.*, *Hieracia sabaudum L.* et *sylvaticum* passim colens inventa fuit. Aestate et autumno.

363. U. Ficariae NOBIS.

U. e badio nigrescens subbullata, caespitulis majusculis solitariis parcis subrotundis, sporulis rotundo-ovatis subcaudatis.

Cauda *sporularum* in hâc quoque specie vel brevissima adest, vel nulla. *Caespites* satis magni, valde inquinantes. Intermedia fere posita est haec nostra inter antecedentem et sequentem: a quibus qui discrepet, e characteribus modo allatis elucebit. Crescit in utrâque foliorum paginâ, etiam in petiolis, *Ranunculi Ficariae* hinc inde (*Jänkendorf*; *Ullersdorf*) locis dumosis. Maio.

364. U. bullata.

In caulibus, petiolis, foliis *bullae* passim (saepe frequentissimae et confluentes) prominent subovatae flavidae: e quibus *pulveris* spadicei grossi inquinantis erumpunt *glomeruli*, initio subsolitarii, annulatim plerumque bullam suam cingentes, deinde centrales etiam totumque caespitem confluendo explentes, formâ subrotundâ seu oblongâ. *Sporulae* ecaudes, oblongo-cylindricae, saepe distincte 8-formes, semper saltem subbilobae, septo medio transversali obscuriore interstinctae. Innascitur *Aegopodio Podagrariae* (nec alii hucusque plantae) coelo sereno rarissima, madente passim admodum vulgaris. Junio.

365. U. Anemones.

Epiphylla vel petiolaris: unum idemque nonnumquam folium cum *Aecidio Anemones* occupans. *Pulvis* niger, vix fuscescens. Rarior nobis (*Buchenwäldchen*). Maio, Junio.

OBS. *U. Dentariae*, majuscula subbullata, epidermide longitudinaliter dehiscente, pulvere copioso ferrugineo-fusco — affinis quidem est praecedenti, specie tamen propriâ digna videtur. At cum nonnisi Neovedae ad Rhenum in *D. bulbiferae* foliis lecta fuerit, regionis nostrae incolis connumerari nequit. Junio, Julio.

C. ALBUGO.

366. U. candida.

α, *Thlaspeos*

β, *Tragopogi*

Crescit α, loco suo passim copiose; perennis. β, in foliis *Scorzonerae hispanicae* hortensis hinc inde observata. Junio et seqq.

367. U. Cheiranthi.

Mox solitaria prominula suborbicularis, mox subconfluens difformis depressior. Epidermide tandem ruptâ pulvis evacuatur, unde specimina inania sat frequentia occurrunt. In foliis *Erysimi cheiranthoidis* (in horto nostro) haud infrequens. Julio.

D. USTILAGO.

368. U. segetum.

α, Hordei
β, Tritici
γ, Avenae
δ, Panici

Omnes hae varr., notissima aeque ac pessima segetum suarum vitia, agricolas male cruciant. Aestate.

369. U. Caricis.

Legimus hanc in regionibus nostris circum capsulas *C. brizoidis* (*Rengersdorf; Cunnersdorf*) et praesertim *C. praecocis Schkuhr* (*filiformis Hoffm.*) passim copiose vigentem tempestate pluviâ; Junio, Julio.

370. U. Tragopogi.

ββ, Scorzonerae

Est var. pulvere parciore purpureo-fusco in *Scorzonerae humilis* receptaculis. Flores virgines corrupti, denigrati, depressi, pulvere intus obsiti. In pratis (*Ödernitz*) frequens. Maio, Junio.

371. U. violacea.

Hanc apprime crebram (et in remotissimis quidem Germaniae terris) in *Lychnide dioicâ L. albâ* reperimus: rariorem in *Cucubalo Behen*. Florum etiamnum clausorum antheris jam virginibus innascitur *pulvis* laxus, tum temporis paullo dilutior: saturatius postea violaceus copiâque adauctus flore aperto in calycem, quem semire-

plet, maximâ ex parte delabitur — a polline antherarum flavido vel ipso colore facile dignoscendus. Junio, Julio.

34. PUCCINIA.

372. P. Anemones.

α, Anemones

ββ, Betonicae

Sporulae in hâc quoque specie haud paucae prorsus ecaudes sunt. *Caespituli* subglobosi, aequaliter in quincuncem dispositi, totas saepe foliorum paginas aversas, earumve saltem lacinias, occupant. In *α*, loco suo frequente folia fungillum gerentia petiolos prolongant, ipsa contracta, sterilia, supra sordide albentia. Var. *ββ*, colore paullo dilutiore e rubiginoso badio sporulisque obsoletius etiam bilobis diversa, passim provenit (*Öderniz; Hungersnoth*) in *Betonicae officinalis* pratensis foliis, virorem suum desuper paene conservantibus. Viget utraque Maio.

373. P. Pruni.

Pulvis fere niger, detersilis: inde aeque prorsus ac antecedens *Uredinibus* admodum cognata est species: rara ceterum, nonnisi in unico *Pruni spinosae sylvestris* (*Sohlander Berg*) frutice, quem totum infecerat, epiphylla nobis reperta. Medio Octobri.

374. P. Menthae.

Glomeruli parvi punctiformes nigri. *Sporulae* aliae subrotundo-difformes, aliae obsolete triangulae, pleraeque tamen obtuse tetragonae. *Cauda* in nostris (an per varietatem? an per aetatem provectiorem?) satis longa, staturam sequentium ferme aequans. Hab. in *Menthae austriacae Willd.* foliis hinc illinc. Septembri.

375. P. Valantiae.

Sporulae grossiores, magis difformes, in crassiorem

caudam exeunt, quam in sequente affini. Mixtam hanc reperimus *Uredini* cuidam flavae, cui sporulae erant orbiculares medio depressae ecaudatae laxae: quae num ejus primordia constituit? Cauligena epiphyllaqué species frequens lecta in *Galio sylvatico* locis acclivibus umbrosis herbosis (*inter Rengersdorf et Cunnersdorf*) Julio.

376. P. Polygoni.

Sporulae ovato-oblongae, subbilobae, tenuicaudes. *Glomeruli* parvi, rotundi fere, e spadiceo nigri; saepe *Uredine Betae β*, tanquam maculâ anomalâ sordide fuscescente circumdati, pro receptaculo hâc utuntur. Incolit folia *Polygoni Convolvuli* arvensis hortensisque passim haud infrequens. Septembri.

377. P. Aviculariae.

α, Aviculariae

ββ, Fabae

Utraque var. ita prorsus, ut aliquoties jam monuimus, nominis sui *Uredini* intermixta obvenire solet: *α*, in caule foliisque *Polygoni Aviculariae*, antecedente rarior: *ββ*, cauligena etiam aeque ac epiphylla in *Viciâ Fabâ* frequens. Haec, quantumvis alienissimae sedis incola, *sporulis* tamen nonnisi aliquanto majoribus ab *α*, discrepat: aeque enim macrurae ac subglobosae, comparatione ad microscopii compositi augmenta maxima institutâ, inclaruere. Forma etiam *caespitum* in caule petiolisque linearis, in foliis orbicularis, et color niger — prorsus congruunt. Utraque item obvia Septembri.

378. P. Circaeae.

Verrucae saepe etiam confertae, circinatim vel alio modo subconfluentes. Copiosissima ubique provenit haec species in *Circaearum*, inprimis *C. intermediae*, foliis: parcior, ceterum prorsus eadem ac itidem epiphylla, in

Chrysosplenio alternifolio locis humidis umbrosis (*Moholzer Haide*). Invenitur illa aestate et autumno: haec Maio.

379. P. graminis.

α, *graminis*

ββ, *Junci*

γγ, *caulium*

Lineae in *α*, cauligenâ exacte parallelae, saepe longissimae: in eâdem epiphyllâ lineari-oblongae, sparsae, breviusculae, maculae potius nuncupandae. *Color* e flavo fuscescens, demum niger. *Sporulae* sedis suae admodum tenaces. Vulgatissima haec occurrit loco suo; autumno, hyeme, vere. Var. *ββ*, junior pulverulenta sordide ochracea, adulta nigrescit et compingitur: utriusque saepe aetatis in uno eodemque mixtae adsunt maculae subrotundae aut ellipticae, etiam sublineares, folio vel culmo. Frequens haec incolit *Juncos*, praeprimis *J. campestrem* et *pilosum L.*, passim et *Allia* culta, *Porrum*, *Cepam* etc. colore praecipue ab *α*, differens. A vere in autumnum usque. Notabilis tandem *γγ*, ovato-oblonga, nigricans, speciem paene propriam ob sporulas medio parum constrictas caudamque valde elongatam meretur: semel in caulibus vetustis semiputribus siccis (*Solani tuberosi*, ut videbatur) reperta ineunte Aprili.

380. P. Juniperi.

In statu primitivo mera adest matrix prorsus nuda, quae dein sporulis sensim undique obducitur, formam simul excrescendo mutans. In hortis (*Jänkendorf; Euldörfel*) *J. Sabinam* frequens colit. Aprili, Maio.

381. P. Potentillae.

Vicina omnino sequenti: differt tamen *sporularum* mucronibus brevissimis vel nullis, caudisque etiam brevio-

ribus, unde *pustulae* apparent sessiles. In *P. argenteae* foliis, quae hyemem perduravere, semivivis siccisve arva seu pascua incolens occurrit Martio, Aprili.

382. P. mucronata.

α, Rosae

β, Rubi

Sporulae isthmis plerumque ternis interceptae, nonnullae submuticae. Vulgaris est *α*, in foliis praesertim consenescentibus *Rosae centifoliae*, Uredine sociâ, in hortis ubique fere: rarior in *R. villosâ* (*Lehmgruben*) absque Uredine. Var. *β*, apud nos quoque in foliis (et saepe quidem siccis dejectis) *Rubi* utriusque, sed apprime *R. fruticosi*, haud raro occurrit. Utraque aestate et praesertim autumno.

OBS. 1. Sicuti notas praesertim *Uredinum* specificas plerasque, ita vel ipsam inter *Pucciniae Uredinis*que genus diagnosin genericam vehementer vacillare, nemo facile rei peritus inficias ibit. *Septula* scilicet Pucciniis solemnia *striis* profundioribus in Uredinum sporulis frequenter obviis similia adeo esse solent, ut dignosci vix queant: et ad *caudae* firmaeque proinde adhaesionis inconstantiam quod attinet, NN. 361. 373. ac inprimis 362. 363. 372. laudasse sufficiat. Nec parum hinc alimenti trahit suspicio illa, cujus ad *U. linearem* (*Synops.* I. p. 216.) meminit cel. *Persoon*, mere quidem hactenus hypothetica, sed urgentissima tamen: anne in plantis perquam multis, graminibus v. c., Juncis, Circaeis, Polygonis, Fabâ, Galio etc. *Uredines* fungilli *juniores* sint (dilutius colorati magisque aestivi) iidem, qui *perfecti* deinde (saturatiores et magis autumnales) *Pucciniae* audiant? Digna utique hypothesis, in quam repetito examine ulterioreque observatione studiose inquiratur.

OBS. 2. Tribus verbis, priusquam Gymnospermos epiphyllos jam absolutos retrolinquamus, memoriae tradenda est pertinacia, quâ fungilli isti pratorum, agrorum, sylvarum etc. loca certa selecta, quotannis reduces et herbam quisque suam contaminantes, reliquis ita praeoptare solent, ut caussam praedilectionis adeo obstinatae, saepe nec in umbrâ apricove sole, nec in humore vel siccitate etc. positam, hariolari nullatenus potuerimus.

35. TRICHODERMA.

383. T. roseum.

Increscit species pulchra lignis variis putrescentibus, cortice praesertim laxe inhaerente obtectis, haud infrequens hinc inde: *Populum tremulam Alnum*que, in quibus laetissime vigere solet, praeamare videtur. Autumno serotino et hyeme leniore etiam inventa: sed perfectior Martio, Aprili.

384. T. viride.

In aetate infantili positum exiguum est, globosum, compactum, extus intusque unicolor candidum, superficie villosum: Sphaeriam tum temporis simplicem hirsutam quandam mentitur. Adulti dein *forma* pulvinata saepe suborbicularis: *diameter* varius, 3/4 lineas tamen vix excedens: *villus* tegmineus detritus paullatim et evanidus *pulverem* denudat opace viridem, ad latera diutius persistens; unde totus jam fungillus obiter inspectus aviculae cujusdam excremento haud absimilis apparet. Frequens tempore humente rejectamenta varia, stipulas, ramulos, folia etc. imo stercus vaccinum incolit: autumno, hyeme.

385. T. aureum.

Villus albidus flavidusve tener, circa marginem pro gene-

ris more persistentior. *Pulveris* color saepe saturate aureus. Ligna *pinea* in locis suffocatis humentibus degentia occupat species in regionibus nostris minime rara. Autumno, hyeme, vere.

386. T. nigrescens.

Amat haecce species trunci arborei caesi discum vetustiorem, cui e. g. in *Carpino Betulo*, *Salice albâ* etc. non infrequens passim innascitur: rarior obvenit corticalis. *Villus* tegmineus delicatus digiti tactu vel levissimo illico abstersus *pulverem* ostendit opace terreo-fuscum, nigricantem, solito laxiorem et subtiliorem, ac inde pessime inquinantem. — Parcior reperitur aestate pluviâ: crebrior autumno inprimis tardo.

387. T. dubium.

Praeter truncos putridos, quos hinc inde incolit, foliis quoque, ramulis, aliisque corpusculis humi jacentibus nonnumquam increscit: formam quidem, ubi ejusmodi sedem natalem sibi elegit, haud adeo regularem servans, sed latius, oblongum, subeffusum, at substantiâ ceterum, indole, colore cum fungo epixylo prorsus conveniens. Autumno.

388. T. laeve.

Tegumentum laevissimum tenerrimum submembranaceum albidum vel tantillum laesum *pulverem* promit satis laxum dilute flavum. *Formâ* fungus epixylus, trunci pinei incola, gaudet circumscriptâ pulvinatâ subsemiglobosâ; terrestris idem muscisve inspersus inaequaliter effusus est, tegmine evanido fere. *Magnitudo* ab unciâ 1 ad $2\frac{1}{4}$ variat. Parum frequens offenditur locis sylvaticis humidis (*Moholzer Haide* hinc illinc): autumnalis et vernalis.

389. T. tuberculatum.

Initiale *villis* longis candidis mollibus vestitum est, in

tubercula echinata varia dein (an per conglutinationem fascicularem, e madore continuo oriundam?) abeuntibus. *Pulverem* genuine pureque cinereum nondum vidimus: constanter in nostris e cinereo vel flavescit vel rutilat, argillascens inde vel griseus dicendus. Epigaea species vulgaris ubique fere occurrit in terrâ nudâ humidâ inprimis umbrosâ. Aestate tardâ et autumno.

OBS. Brevem fungorum duorum ad hocce genus spectantium ambiguorum notitiam adspergere placet:

a. *T. guttatum.* T. pulvinatum subhemisphaericum, tegumento subvilloso albido, guttis grossis viscosis obsito, pulvere compacto griseo-terreo. Fungus *Lycogalacti argenteo* colore pulveris, formâ ac habitu probe consonus: num forsan ille ipse, casu quodam in mediâ aetate corruptus? num nova *Trichodermatis* species? ob exempla nondum prorsus matura nihil definimus: quae in trunco *quercino* semel inventa fuere Aprili.

b. *T. candidum.* T. pulvinatum subsemiglobosum villosum unicolor album, e filis compactis pulvere undique interspersis contextum. *Diameter* 3—4 linearum. *Conopleis* potius hanc speciem non obstante colore alienissimo accensere in animo erat: sed metus, ne mera fungi ignoti primordia coram haberemus, hactenus nos cohibuit. Aliquoties in cortice *abiegno* (*Moholzer Haide*) vere, aestate.

36. CONOPLEA.

390. C. sphaerica.

Forma globoso-depressa. *Diameter* ab 1 ad 3 lineas varius. *Color* sordidus, e nigro plus minus in olivaceum vergens. Copiose incolit ramos varios dejectos siccos: parcius ligna putrida. Perennis.

391. C. hispidula.

Epixyla nostra et descriptione *Persoonianâ* paullo major: verum haec discrimina ad varietatem distinguendam vix sufficiunt. Rotunda vel subovata, sparsa sive subgregaria: *diameter* lineâ paullo minor. *Setae* longae, rigidae, divergentes. *Pulvis* satis copiosus. In frustis ligni carie exesi sicci, rarior. Junio.

392. C. atra.

α, lignorum

ββ, Caricum

Var. *α*, staturâ varians in lignis praecipue salignis (*Salicis albae L.* et *Capreae*) aliquoties inventa: quâcum convenit *ββ*, colore aterrimo, at distat pulveris copiâ, minutie, loco — specie forsitan sejungenda. Vix lineam lata, globosa, subdepressa, passim etiam longitudinaliter subeffusa, pulverulenta. In foliis *Caricum* majorum aridis, locis sylvaticis paludosis, passim non infrequens. Utraque Aprili.

OBS. *C. betulina*. C. erumpens subsphaerica compacta vix pulverulenta, ex olivaceo nigricans, intus opace viridis. Primo obtutu *C. sphaericae* similis: an ex illâ per corruptelam orta? Ad ramos *betulinos* siccos deciduos inventa Maio.

FAMILIA III.

SARCOSPERMI.

37. CYATHUS.

393. C. striatus.

Terrestris inter folia putrida locis humidis passim. Sept. et seqq.

394. C. Olla.

α, nitida

β, agrestis

Utraque var. in hortis, agris, ruderatis hinc inde frequens. Aestate et autumno.

395. C. Crucibulum.

Nostratium longe vulgatissima haecce species, ligni *pinei* putrescentis praesertim fabrefacti admodum cupida, sepibus, asseribus, palis etc. ubique innascitur: rarius tamen etiam in arboribus frondosis epixyla occurrit. Omni fere anni tempore humido.

396. C. scutellaris.

Species nostra lignatilis est, mox in *Pini*, mox in *Quercûs* ramis lignorumve frustis obvia, cinerascens aut pallescens. Non infrequens hinc illinc aestate et autumno praecipue sero.

CLASSIS II.

GYMNOCARPI.

ORDO IV.

LYTOTHECII.

---

38. PHALLUS.

397. P. impudicus.
Per varias aetates, inde a juvenili, quâ nondum evolutus ovoideus apparet, usque ad exoletam illam, quae pileum totum denudatum monstrat, hinc illinc observare contigit fungum celebrem: cujus, cum rarior vulgo (etsi perperam fortasse) haberi frustraque a multis conquiri soleat, loca natalia uberius sigillatimque recensere haud supervacaneum putamus. In abiegnis unico tantum loco (*Moholzer Haide*) solitarium invenimus: praefert enim apud nos quoque nemora et ambulacra frondosa umbrosa subhumentia — crescens v. c. in hortis ad *Jänkendorf; Quolsdorf; Haynchen;* in ambulacro amoeno illo, quod est inter arcem aedemque sacram *Ullersdorfensem;* in fageto umbroso *montis Löbaviensis* satis frequens. Ita et in montibus *Hochkirchensibus* copiose provenire a testibus idoneis affirmatur. Augusto, Septembri, rarius Octobri.

ORDO V.

HYMENOTHECII.

FAMILIA I.

AGARICOIDEI.

39. AMANITA.

A. AMANITAE.

a) *Nudae.*

398. A. livida.

α, pallescens

γ, fuscescens

Volva mediocris, albida. *Pileus* in nostris plerumque nudus. Crescit *α*, in umbrosis frondosis, *β*, acerosis — utraque non infrequens. Aug. Sept.

399. A. spadicea.

β, fulva

Volva longa, laxiuscula, sordide alba, praesertim margine rufescens. *Stipes* longus (nonnumquam valde elongatus), sursum subattenuatus, nudus, candidus vel albidus: *lamellae* concolores, aequaliter plerumque crenulatae aut serrulatae. *Pileus* initio campanulatus, dein planiusculus, imo saepe prorsus applanatus evadit: ceterum subumbonatus, margine sulcatus, fulvus sive e rufo ba-

dius. Species est e maxime vulgaribus: in pinetis (vix in sylvis abietinis, nedum frondosis) ubique fere locis sicciusculis umbrosis reperiunda. — Exeunte aestate et praeprimis autumno medio.

400. A. incarnata.

ββ, laevis

Pileus laevis, vix fibrillosus, nedum villosus: at ceteroquin fungus noster cum italo prorsus congruit. *Stipes* primo subbulbosus, dein teres evadit, *volvâ* magnâ distinctâ laxiusculâ ad basin cinctus: *annulus* nullus. *Lamellae* ante evolutionem albidae, pulvere mox seminali copioso incarnato-roseo tinctae colorem mutant. *Pileus* latius demum campanulatus numquam tamen prorsus applanatur, margine nec striatus nec sulcatus. *Statura* magna, *A. bulbosae* fere. Terrestrem loco unico domestico (*im Hofe des Seminarii*) quotannis bis reducem habemus: Maio, Junio, iterum Septembri.

b) *Annulatae.*

Tab. XI. f. 1. 401. A. porphyria NOBIS.

A. pileo convexo nudo laevi e purpureo livescente, annulo subconcolore, lamellis et stipite albis.

Habitu prorsus refert *A. viridem:* sed *staturâ* duplo fere est minor. *Volva* adest manifesta, longiuscula, laxa: *annulus* mediocris vel subparvus, dilute livescens, constanter praesens: *pileus* convexus, late campanulatus, nec umbonatus nec umquam hactenus verrucosus, coloris e livido purpureoque mixti; ceterum laevis, nec nisi rarius margine substriatus. Hinc quâ ratione species nostra ab *A. lividâ* et *umbrinâ*, ad quas pilei colore quadantenus accedit, differat, facile liquebit. Amat fungus minime rarus sylvarum praesertim abietinarum

loca uda sphagnosa subturfosa, quae ubique fere sparsus incolit Septembri et Octobri.

402. A. bulbosa.

Pileus in nostris semper nudus, praesertim centro saepe pallescens: *lamellae* dimidiatae plus minus parcae. In sylvaticis praesertim abietinis umbrosis humidis passim frequens. Aug. Sept.

403. A. citrina.

α, vulgaris

Verrucae pilei nobis haud adeo rarae: *annulus*, saepe et *stipes*, colore dilutius citrino insignis. Totus fungus ad *staturam* interdum semipedalem assurgit, *pileum* tum gerens quadriuncialem et ultra. Solum sibi laxum umbrosum eligit, frequens hinc inde autumno.

404. A. viridis.

Formosam speciem numquam nisi laevem glabriusculam verrucis destitutam vidimus. *Pileus* laetius opaciusve viridis: est etiam, quando viridi fuscoque marmoris ad instar eleganter variegatum reperire obtigit. *Stipes volvaeque* pagina interior saepe subvirescunt; reliqua alba. In humidis umbrosissimis inter folia putrida frondosa passim. Sept. Oct.

B. MYOPERDAE.

405. A. muscaria.

α, vulgaris

β, formosa

γ, Puella

Notissima species et admodum vulgaris, in staturam saepe giganteam excrescens. Autumno inprimis medio et seriore.

406. A. umbrina.

Affinis sequenti, sed nec extus rubescens nec intus.

Varietas annulum ad stipitis basin gestans nobis quoque obvia fuit. In sylvis passim. Sept. Oct.

407. A. rubescens.

α, communis

Caro pilei stipitisve diffracti citius tardiusve, sed constanter, rubescit: et haec quidem nota hujus speciei vere diacritica esse videtur. Pilei enim colorem variabilem, in aliis rubescentem, in aliis livescentem, fuligineum, subhepaticum — offendimus. *Stipes* biuncialis, subbulbosus. *Sapor* vix ullus. Occurrit in sylvis variis minime raro. Autumno.

40. AGARICUS.

OBS. Ingens in genere omnium longe vastissimo impeditissimoque characterum tribubus primariis constituendis idoneorum penuria esse videtur. Nos certe non nisi unicum novimus vere constantem nec ulli unquam, quantum hactenus observare licuit, mutationi obnoxium, in *colore* nimirum *pulveris*, *seminalis* vulgo habiti, positum; eumque, cum (Coriaceis paucisque forsan aliis exceptis) pleraeque species chartam v. c. scriptoriam suppositam pulvere isto intra diei noctisque spatium copiose emisso luculente lubenterque pingere soleant, haud adeo difficilem exploratu. Unde jamdudum in mentem nobis venit, anne familiis quibusdam *Leucospermorum*, *Erythrospermorum*, *Melaspermorum* etc. principibus *Persoonianae* tribûs, in secundarium jam ordinem relegatae, passim (ubicunque necesse visum fuisset) subjici possent? Has enim, quamvis haudquaquam spernendas, a notis tamen saepe minus gravibus, nec adeo proxime ac illa nostra ad fructificationem spectantibus petitas, limitibus plerumque satis vagis circumscribi, nemo utique in genere nostro vel tantillum versatus negabit. Et

profecto, nisi pulveris color in specierum numero haud exiguo nondum examinatus hucusque nos lateret, reliqua obstacula, quae ab affinitate mutuoque confluxu colorum praesertim oriunda novam methodum premere minime ignoramus, ab eâ tentandâ libellum nostrum vix cohibuissent. Neque omnino est, cur ei a futurâ die ulterioribusque mycologorum laboribus lucem affusum roburque additum iri, si naturae constans infuerit veritas, desperemus.

A. LEPIOTAE.

408. A. L. procerus.

α, procerus

γ, excoriatus

Var. α, sylvas passim incolit; γ, solum laxius praefert cultum arvorum et hortorum, in quibus haud infrequens occurrit. Utraque autumnalis.

409. A. L. colubrinus.

α, colubrinus

β, pantherinus

Stipes, praecipue in α, flocco mollissimo sericeo, annulum ejusdem texturae (deinde evanidum) sustentante, obductus. *Pileus* in β, nonnunquam rufescit, *squamis* tum obscurioribus, nigricantibus fere. Hab. utraque var. in cortice vaporario (*Seer Lohgruben*) frequens; sed vix alibi. Autumno.

410. A. L. cristatus.

α, conspurcatus

Nos hunc notis indicatis ac vel ipso habitu tenui a praecedente diversum separare nulli dubitamus: in sylvis muscosis umbrosis passim crescentem, sparsum, satis frequentem, praecedentibus contemporalem.

411. A. L. felinus.
Annulus parvus quidem, sed distinctus. Rarior haec species in umbrosis abietinis tamen aliquoties lecta, solitaria. Septembri, Octobri.

412. A. L. mesomorphus.

ββ, roseus

Pulchellus, fragilis, tenuis. *Pileus* 1/2uncialis, convexus, demum planus, glaber, humidus, subviscosus, subumbonatus: ejus color e flavido ac rosello mixtus est, in centro saturatior. *Lamellae* candidae, ventricosae, liberae. *Stipitis* color eleganter roseus per floccos laxos sericeos flavicantes sub annulo persistentes transparet: *annulus* ipse ejusdem prorsus structurae picturaeque, mollissimus, demum evanescit. Var. haec nostra a *Bulliardianâ*, cui stipes laevis esse videtur, forsitan specie separanda erit. Rarissimae exempla pauca, sed perfecta, semel inventa fuere in abietinis madentibus umbrosis epigaea. Exeunte Septembri. (*Moholzer Haide*).

413. A. L. Carcharias.
Cf. *Pers. Ic. pictae* I. tab. V. f. 1—3. (icon optima). *Pileus* 1/2uncialis: *stipes* mediocris: *lamellae* late lanceolatae. *Sapor* in nostris valde nauseosus quidem, at constanter totus mitis. Atque hic in universum monere liceat, characteres a sapore vel odore fungorum desumtos, etiamsi minime negligendi sint, hinc tamen sensuum in singulis paene scrutatoribus idiosyncratice diversorum judicio saepe fallaci obnoxios, illinc pro locorum natalium variâ indole admodum mutabiles, circumspectius omnino nec umquam nisi additive adhibendos neque nimio aestimandos esse. — In sylvis praesertim abietinis rarissima species coelo sicco, crebra humente. Sept. Oct.

414. A. L. granulosus.

α, ferrugineus

γ, expallidus

δ, albus

εε, cinnabarinus

Pilei discus nonnumquam confertim granulosus, parallele rugoso-subplicatus; margo saepe squamulosus. *Lamellae* candidae dein pallent. Varr. *α*, *γ*, in sylvis acerosis vulgares: *δ*, tota cretacea in dumetis frondosis (*Sproizer Hügel*) semel lecta: εε, in abiegnis (*Moholzer Haide*) haud rara. Autumno.

415. A. L. robustus NOBIS.

A. L. magnus compactus firmus, pileo hemisphaerico subinaequali late umbonato glabro e rubro badio, margine fibrilloso albicante, lamellis liberis latis confertis albidis, stipite solido robusto brevi sursum incrassato bicolore.

Non habemus, quocum comparemus hunc nostrum. *Stipes* constanter durus validus, basi unc. ½/¾, apice 1 crassus, nec multo longior plerumque; rarius tamen ad uncias 2/3, subflexuosus tum, producitur. Infra annulum pilei margini concolor est, albescens nimirum, sed fibris rubicundis badiisve plus minus variegatus: supra annulum totus albus tenuissime fibrillulosus. *Annulus* spectabilis, persistens, rarius demum obliteratus, mollis, floccosus, pileo concolor. *Lamellae* semunciam fere latae, ex albo pallent. *Pileus* 3, in majoribus 4/5, uncias latus, crassus compactus durus, saepe inaequalis hinc inde sublacunosus, disco inter colorem rubrum ac badium varie ludit; marginem supra jam descripsimus. Totius fungi *caro* alba firma esculenta videtur, *sapore* praedita miti grato *Boleti* fere *edulis:* quamobrem ab insectis limacibusque cupide conquisita, perforata ac semivorata haud raro offenditur. Nascitur in sylvis acero-

sis, inprimis in *pinetis*, loca rasa praeamans viarumve arenosarum comes, caespitose vel sparsim, terrestris, nec infrequens. Septembri, Octobri.

416. A. L. mucidus.

α, fagineus

γγ, epigaeus

Species distinctissima. In *α*, constanter fagicolâ (*Löbauer; Arnsdorfer Berge; Eulenwald* satis frequente Sept. Oct.) *pilei* discus saepe fuligine demum quasi afflatus est. Var. *γγ*, praeter sedem natalem situ etiam gregario quidem at non caespitoso, stipite longiore (2/3unciali) verticali stricto, pileoque in adultis prorsus applanato disco ochreo-rufescente (tenui ceterum, viscoso, pellucente) haud parum diversa, nova species esse videtur. Sed bis modo (*Moholzer Haide; Schöpswiesen;*) in sylvaticis humidis graminosis jam olim reperta, nec tum temporis satis accurato examinata, hactenus non separata fuit. Exeunte Septembri pluvioso.

417. A. L. squarrosus.

α, truncigenus

ββ, terrestris

Crescit *α*, caespitosa ac lignicola in sylvis apprime montosis remotis meridionalibus hinc inde, autumno praesertim tardiore. Varietatis *ββ*, unicum modo specimen semel inventum: epigaeum, solitarium, vaegrande, stipite 4 unc. longo, pileo octunciali squamis densis squarroso, annulo pro ratione parvo subobsoleto nigricante, odore vix ullo. Fungum admodum notabilem, aliorsum (ut videtur) pertinentem, in ambiguo etiamnum haerere valde dolemus. In gramineis dumosis umbrosis (*hinter dem Brüdergarten*). Medio Octobri.

418. A. L. aurivellus.

Pileus pulchre luteus, squamis obsitus ferrugineis, at

nec densissime adeo ac in praecedente congestis, et adpressis potius quam squarrosis: *stipes* laeviusculus, non nisi sparsim et obsolete squamosus: *sapor odor*que mitis, debilis. Inde (nostrum saltem fungum) sejungere non haesitamus. Loca ceterum cum antecedente eadem prorsus (*Moholzer Haide; Sohlander Berg;* etc.) incolens, aliquanto frequentior illo occurrit: item truncigenus. Aestate et praesertim autumno.

419. A. L. Flammula NOBIS.
Agaricus luteus *Wither.* Agar. Coprinus Cepaestipes β, *Pers. Synops.* II. p. 416?

Speciem pulcherrimam ob synonymon modo allatum (pileo in nostris *planiusculo* excepto) satis idoneum inter spolia terrae nostratis enumerare nefas duximus; quae tamen, ne cum *Russulâ luteâ* confunderetur, nomine novo licet ab invitis donanda fuit. Minime ad *Coprinos* pertinet, sed est *Lepiota:* inde et colore etc. a *Cepaestipite α*, (de quo ampliora videsis infra), quamvis pilei squamositate pilosâ singulari conveniat, toto sane coelo differt. Ita porro, quo minus cum *L. aurivello* conjungatur, color totus unicolor vivide luteus, lamellae valde confertae tenues angustae, habitus gracilior minus firmus alienissimus etc. omni modo prohibent. Truncos amat *pineos*, quos vel ipsos, vel terram radices eorum obtegentem, caespitatim hinc inde incolit, sed parum frequens. Septembri.

420. A. L. aureus.
In pratorum umbrosis apricisve loca sibi seligit depressa humida gramine pingui vestita, quae caespitosus incolit, praegrandis saepe, haud adeo infrequens nobis. Septembri, Octobri.

421. A. L. polymyces.
Caespites albo-farinosi fructescentiae tempore. *Pileus*

plus minus umbonatus. *Stipes* laeviusculus, nonnisi basin versus interdum squamulis distinctioribus adspersus. Vulgatissima species truncos varios vexat autumno inprimis tardiore: ipsâ quandoque hyeme mediâ cum tempestate leni subito redux.

422. A. L. caudicinus.

α, squamosus
β, denudatus
γ, medius

Rarius terrestris. Admodum ludit colore dilutiore et profundiore; ita et squamis stipitis crebrioribus, parcioribus, ac vix ullis. Nulli inde inter α, et β, limites certi erui possunt. Var. γ, gregaria vel solitaria, pileo tamen etiam haud raro convexo-hemisphaerico instructa est, annulumque gerit manifestum. Omnes 3 varr. loco suo frequentes sunt autumno.

423. A. L. bulbiger NOBIS.

A. L. pileo planiusculo carnoso glabro rufo, lamellis confertis emarginato-adnexis aquose albidis, stipite concolore obsolete annulato rufo-fibrilloso bulboso, bulbo mediocri depresso marginato.

Bulbi forma constans est et singularis — subglobosa, supra circa stipitem depresso-concava, margine obtuso annulari cingente. *Stipes* erectus teres solidus, satis firmus, 2 unc. longus, 3/4 lineas crassus, *annulo* albo depauperato recto versus apicem cinctus. *Pulvis* seminalis albus. *Pileus* regularis, convexo-planus, triuncialis fere, e cinnamomeo rufus, frustis epidermidis albae post fungi explicationem residuis laceris sparsisque saepe conspicuus. Ad dumeta frondosa inter folia muscosque passim solitaria provenit species vel subgregaria (*Sproizer Hügel; Moholzer-Haide* aliquot locis) Septembri.

424. A. L. helvolus.
Varietatem nos, praeter minorem illam a cl. *Persoon* descriptam, aliam quoque habemus magnitudine omnium partium duplici fere (pileo 1/1½unciali etc.) majoreque robore insignem, etiam minus crebro vulneratam. Loca amat submontana graminosa, ubi betuleta aliave dumeta frondosa incolit, non infrequens. Septembri, Octobri.

425. A. L. brunneus.
Pileus e campanulato dein planus. Totus fungus cognatis suis *Lepiotâ flexipede* ac *Cortinariis castaneâ* et *decipiente*, praeter discrimina reliqua, duplo triplove undique major et firmior. Sparsus, etiam subgregarius, sylvas hinc illinc incolit abietinas humidiusculas muscosas. Medio autumno.

426. A. L. flexipes.
Pileus mox laeviusculus, mox fibrillis albidis satis dense obsitus, e cinnamomeo in sordide violaceum nonnunquam vergens, semuncialis plerumque, rarius ad ¾ unc. (vix ultra) dilatatus. In sylvis acerosis, praesertim *abiegnis*, locis humidis copiose. Per totum autumnum.

427. A. L. macropus.
Stipitis longitudo saepe eximia, sed inconstans est; haud raro enim mediocris etiam, bi- s. triuncialis, invenitur. Nomen itaque triviale cum aptiore inposterum permutandum erit. *Annulus* varius: saepe satis magnus firmusque persistit. — *Lamellae* pallidae, dein subcinnamomeae cum micore quodam cinerascente. Totus habitus constanter validus crassus. Hab. species apud nos pervulgata in sylvis acerosis sicciusculis, inprimis *pineis*, ubique sparsa. Augusto et sqq.

B. CORTINARIAE.

a) *Violaceae.*

428. A. C. nuda.

α, sylvatica

ββ, praticola

Gregaria, imo subcaespitosa, mox circinans, mox varie seriata etc. pineta nostra hinc inde incolit *α*, autumni amans tardioris, una cum Octobri utplurimum proveniens, haud rara. Var. *ββ*, multo minor, tenera, pileo semunciali pulchre violaceo-fuscescente, margine substriato, stipite laevi brevi (vix unciali) concolore, caespitosa semel bisve in prato humido (*Wiese des Gasthofes*) inventa fuit. Num forte ad Gymnopodas violaceos amandanda? Hocce certe loco, quem tantisper jam occupat, prorsus removenda erit, si (prout suspicamur) *leucospermam* sese esse ultro confirmaverit. Serotinam habuimus exeunte Octobri.

429. A. C. hercynica.

Fungus omnium pulcherrimus, totus saturate violaceus: *stipitis* color sordidior quidem, sed aeque profundus. *Bulbus* subovatus, nonnumquam insignis. *Cortina* ipsa pallida, sed pulvere seminali ferrugineo utplurimum tota dense obtecta. In umbrosissimis humentibus inter folia dejecta semiputria aliquot locis (*Moholzer Haide; Küchenwiese*). Sept. Oct.

430. A. C. violaceo-cinerea.

In recentissimis etiam exemplis varie ludit color inter violaceum et umbrinum. *Pileus* praesertim circa marginem cinereo-squamulosus. Occurrit in sylvaticis variis hinc inde. Per totum autumnum.

b) *Caerulescente-variae.*

aa) Phaeocephalae.

431. A. C. porphyropus NOBIS.

A. C. pileo carnoso tenuiusculo convexo-plano subviscoso e livido fuscescente, lamellis subconfertis emarginato-adnexis laete violaceo-purpureis decolorantibus, stipite tenui fibrilloso subbulboso purpurascente, cortinâ ferrugineâ.

Pileus e griseo fuscescit, margine praeprimis livens: ejus *caro* insipida alba ad rupturam aliudve vulnus eleganter purpurascit: similiter et *stipes*, non intus modo ubi diffractus fuit, verum extus etiam ad merum tactum. *Lamellae* e colore initiali praepulchro in dilute argillaceo-cinnamomeum cito transeunt. *Stipes* 1½/3 unc. longus, 3/4 lineas crassus: *pilei* diameter 2/3 unciarum. Staturae itaque dimensiones eaedem fere, quae in *C. badiâ Pers. Synops.* II. p. 279. obtinent: verum ne cum hâc conjungatur nostra, substantia admodum succulenta coloresque prohibent. Crescit in pinetis vicinis (*Moholzer und Trebusser Haide*) passim sparsa; in betuletis graminosis submontanis remotis (ad radicem *montis Sohlandensis*) frequens. Sept.. Oct.

432. A. C. variecolor.

Est e maximis et robustissimis. *Pilei* discus colore variat mox dilutiore ex alutaceo rufescente, mox profundiore rufo- vel fusco-spadiceo — margo constanter coerulescit, rugis haud raro confertis regularibus parallelis verticalibus circumcirca distinctus. In sylvis variis non infrequens, solitarius. Tempus servat *Cortinariis* succulentis plerisque solemne, vigens nimirum a medio Septembri ad medium usque Octobrem.

433. A. C. bicolor.

Ad colores quod attinet, a *C. nudâ* haud procul abest nostra: verum illa caespitosa provenit, omnibus partibus tenuiuscula, applanata, tardior — haec solitaria crassa compacta convexa praecocior: *cortinam* in neutrâ hactenus observavimus. *Stipes* ½ — ¾ unc. crassus (duas unc. ait cl. *Persoon:* nonne per scriptoris typographive errorem?). *Margo* involutus subviscoso-tomentosus. Crescit in sylvaticis passim. Septembri.

bb) Xanthocephalae.

434. A. C. collinita.

Nisi affinitate erga vicinas naturali heic loci retineretur species memorabilis, ad *Lepiotas* postimos obsolete annulatos ablegande esset. *Pileus* in fungo recente admodum lubricus; ita et *stipes* infra annulum. Sylvarum amat latebras umbrosissimas humentes foliis putridis obtectas (*Moholzer Haide* passim non infrequens; *Sohlander Berg;* etc.) Septembri, Octobri.

435. A. C. glaucopus.

α, bicolor

β, varia

Statura in *α*, valde variabilis, ita et *pilei* color dilutior opaciorve ac diversimode mixtus: exempla zonigera apud nos quoque passim obvia. *Lamellae* cum *stipite* initio vivide coeruleae paullo post decolorant. Var. *β*, Schaefferiana a propriâ specie non multum abest. — Utraque in sylvis dumetisque graminosis variis satis frequens. Septembri et praesertim Octobri.

436. A. C. callochroa.

Pulchra species, sed justo forsan affinior sequenti: prostant nimirum exempla inter utramque ita media, ut, quorsum pertineant, vix dijudicari queat. Differt tamen

pileo luteo, glabro quidem, sed sicco; *lamellarum* colore jucundissimo multo diutius persistente, nec nisi demum aliquantum immutato; *stipite* crassiore distinctius bulboso. Amat in nostratibus penetralia sylvarum umbrosissima, quae passim incolit Sept. Oct.

437. A. C. decolorans.

Habitus praecedente tenuior: *stipes* vix ultra 4 lin. crassus. *Lamellae* illico decolorant. In sylvis acerosis, praesertim *pineis*, frequens. Per totum autumnum.

cc) Elaeochrocephalae.

438. A. C. infracta.

Colores descriptu difficillimi. *Staturae* dimensiones variae. *Pileus* nonnisi rarius infractus in nostris, sed semper inaequalis, varie flexus. *Sapor* vehemens, felleus, omnium forsan amarissimus. Passim provenit subcaespitosa locis sylvarum nemorosis frondosis (*Edelknabe; Löbauer Berg*). Sept. Oct.

439. A. C. subtorta.

Mixtura huic coloris coerulei vel in stipitis apice vix ulla. *Stipes* plus minus tortus. *Statura* praecedente procerior: *sapor* item amarus, sed minus adstringenter. Invenimus speciem raram loco unico abietino umbroso (*Küchenwiese*) cognatis praecocioreın. Aug. Sept.

440. A. C. fulvo-fuliginea.

Statura variabilis. *Stipes* coerulescens aut violascens. *Sapor* lenis, nullatenus amaricans. Solitaria occurrit, sed haud infrequens, in sylvis praesertim abietinis muscosis umbrosis. Septembri.

441. A. C. lepidomyces NOBIS. Tab. XII f. 1.

A C. pileo umbonato hemisphaerico-plano e cervino olivascente squamulis subsquarrosis obscurioribus hirto, cortinâ subannulatâ; lamellis subconfertis emarginato-adne-

xis, primo violascentibus, dein ex ochreo sordide cinnamomeis; stipite tereti sursum laevi albido-coerulescente, deorsum transversim nigricante-squamoso.

Colorum habitûsque erga praecedentes cognatio manifesta huncce locum assignat speciei distinctissimae, annuli ceteroquin rudimento ac squamositate illâ singulari infra annulum transversâ ad *Lepiotas*, aeque prorsus ac *C. collinita* et *C. Bulliardi* ββ, nostra, proxime accedenti. *Pileus* 1—2 unc. latus, regularis, carnosus, insipidus: *squamae* ejus stipitisque spadiceae, nigricantes. *Stipes* cylindricus, vix bulbosus, triuncialis fere, 3/4 lineas crassus, sub annulo irregulariter quasi rimoso-squamosus. Semel epixylum habuimus fungum in trunco alneo locis umbrosissimis (*Moholzer Haide*): crebriorem terrestrem in betuletis graminosis elatis (*Sohlander und Arnsdorfer Berge*). Sept. Oct.

442. A. C. rufo-olivacea.

Pileus utplurimum exacte rufus; nonnunquam tamen etiam subolivascens, aut expallidus in stramineum vergens. *Stipes* in perfectioribus sursum pulchre coerulescit. Vulgatissima species, in ericetis ac pinastretis ubique nimia. Per totum autumnum.

443. A. C. conopus.

Ingens, valida, speciosa. *Sapor* vix ullus. Sylvarum apprime abiegnarum amat penetralia umbrosa, quae copiose incolit Septembri et Octobri.

c) *Albicantes.*

444. A. C. albo-violacea.

Pileus primo dilute ac eleganter coeruleo-violaceus, postea expallescens argenteus evadit. Umbras opacas sectatur, sub dumis frondosis inter folia putrescentia passim copiose occurrens, reliquis contemporalis.

445. A. C. argentata.

Pileus junior, dum inter muscos promergit, purpureo-violaceus est, sed jam tum argenteo quasi micore obductus. *Sapor odorque* prorsus peculiaris, vix describendus. Frequens nascitur ubique fere sylvarum abietinarum muscosarum, sed vix alibi. Sept. Oct.

446. A. C. decumbens.

Primo obtutu *A. Gymnopoda argillaceum* in memoriam revocat species pulchella; a quo tamen praeter situm bulbumque lamellis etiam discrepat vix adnexis valde pulverulentis vivide ochraceo-ferrugineis. *Stipes* in nostris e muscis protrusus subelongatus formam tamen conservaverat clavatam. Parciorem reperimus in sylvaticis abietinis (*Polsbruch*) locis umbrosis sicciusculis. Exeunte Septembri.

447. A. C. lenta.

ββ, *araeophyllos*

Convenit nostra cum *Persoonianâ* staturâ, colore, pileo glutine denso obtecto, circa marginem obsolete cortinato, disco pallescente vel flavicante etc.; sed lamellis differt distantibus, 1½/2 lineas latis, quod discrimen ad speciem separandam paene sufficere videtur. Neque tamen quidquam in specie nobis rarissimâ, semel aut bis jamdudum (*Seer Lehmgruben*) repertâ, decernere ausimus. Octobri, Novembri.

d) *Rubrae.*

448. A. C. Bulliardi.

ββ, *squamulosa*

De hâc quoque varietate nostrâ, quatenus propriam speciem mereatur? qui iconem *Bulliardianam* oculis usurpant, dijudicanto. Squamarum pilei stipitisque eadem fere est indoles ac ratio, quam ad *C. lepidomycen* no-

stram N. 441 commemoravimus: verum haec ultra duplum major robustiorque colores alienissimos ostentat. *Pileus* 3½—4 unc. latus, e formâ initiali hemisphaericâ planiusculus, rufescens, squamulis pilosis cinnabarinis modice confertis subsquarrosis (rarius demum obliteratis) adspersus: *lamellae* cum *α*, congruae: *stipes* triuncialis, semunciam circiter crassus, validus, bulbo spectabili excepto teres, solidus, supra *cortinam* (subannulatam vivide cinnabarinam) sordide rufescens, infra eam squamis transversalibus rimas mentientibus cinnabarinis obtectus; intus totus pallidus seu dilute rubescens. Nascitur fungus egregie formosus in abietinis muscosis rivulosis (*Dubrau; Moholzer Haide; Hölle;*) solitarius vel subgregarius passim. Septembri.

449. A. C. sanguinea.

α, *sanguinea*

ββ, *media*

Color in *α*, vividissime ruber, per ipsam etiam fungi substantiam plus minus penetrans. *Pulvis* spermaticus e croceo ferrugineus. *ββ*, pileo cinnamomeo ac rubedine subtus etiam minus vivace purâque distincta, versus *C. cinnamomeam* (formâ, staturâ, habitu speciei nostrae vicinam) evidenter transit. Utraque in sylvis acerosis nostratibus minime infrequens. Autumno.

450. A. C. viscida.

α, *communis*

Pileus valde glutinosus, dilutius profundiusve purpureus. *Lamellae* cum *cortinâ* primo albae: sub fructificationem dein semine tinctae utraeque cinerascunt demumque nigricant: *melasperma* enim est species! *Stipes* non deorsum modo (ubi colore flavo rubelloque ludit), verum et sursum subincrassatus. Vulgaris crescit species excentrica in ericetis ac pinastretis ubique fere, in hye-

mem usque: etsi enim gelû vel lenissimo tacta fato *Cortinariis* succosis omnibus communi illico pereat, redeunte tamen dein tempore mitiore frequens reviviscere solet, laete iterum vigens.

451. A. C. Gomphus.

Statura varia. *Pilei* minus viscosi color plerumque idem fere ac in praecedente: sed subtus totus fungus (*cortinâ* haud exceptâ) e flavo vel subaurantio rubescit aut purpurascit. *Lamellae* dein per *pulverem seminalem* (item nigrum) umbrinae evadunt. *Stipes* mox valde squamulosus, mox laeviusculus. Nequaquam rara nobis haec species in sylvis acerosis ubique paene occurrit, sed solitaria. Septembri, Octobri.

e) *Variae* (*acyani*).

452. A. C. aurantia.

Pileus minute squamulosus, margine interdum sulcis verticalibus parallelis brevibus, sed profundis, insignitus. *Squamulae* stipitis, ceterum albi, flavo-aurantiae. *Sapor* ex amarissimis. *Odor* vehemens, farinae veluti corruptae. Loco unico abietino umbroso muscoso (*Basalthügel*) gregarium legimus fungum paullo tardiorem, Oct. Nov.

453. A. C. vaccina.

Stipes plerumque subsolidus in nostris. *Sapor* modice amarus. Incolit sylvas acerosas passim, non infrequens. Septembri, Octobri.

454. A. C. turbinata.

Compacta firma, *pileo* subtriunciali viscido hemisphaerico-subirregulari sordide fulvescente, margine involuto; *lamellis* ex argillaceo olivascentibus; *cortinâ* fibrillosâ vivide cinnamomeo-ferrugineâ persistentiore; *stipite* solido crasso bulboso, bulbo depresso marginato.

Medium inde fungum nostrum inter varr. α, et β, *Persoonianas* esse liquebit — pileo cortinâque ad illam, sed lamellis ad hanc propius accedentem. Loca amat sylvarum variarum gramine vestita umbrosa vel apriciuscula (*Seer Lehmgruben; Basalthügel; Sohlander und Löbauer Berg*) lectus aliquoties Sept. Oct.

455. A. C. fulgens.

Bulbus nonnumquam obsoletus. *Lamellae* distinctae, satis latae. *Pulvis* seminalis opace croceus. *Sapor* prorsus mitis, nec ullâtenus amaricans: in deliciis inde ab animalculis variis habitus. In sylvaticis acerosis aeque ac frondosis hinc illinc provenit species minime nobis rara. Medio autumno.

456. A. C. flavida.

α, *vulgaris*

ββ, *maculosa*

Var. α, a *Pratellâ fasciculari* quantumvis diversissimâ desuper vix distinguenda. *Pileus* maculis in hâc quoque var. anomalis, sed ab animalium tantum laesione oriundis, sordide fuscescentibus, interdum conspersus. *Stipes* deorsum nigricans. *Sapor* saepe valde amarus. Vulgatissima occurrit ad truncos varios, sed apprime pineos et abietinos, per totum autumnum. Var. ββ, speciosa, major, firmior, cum nicore rubello flava, margine pilei maculisque disci pulchre lateritio - rubris insignis, sed formâ ceterum, lamellis, habitu, situ, sapore, loco (item ad Pinum epixylo) cum α, conveniens — rarior occurrit, aliquoties (*Moholzer Haide*) inventa Septembri.

457. A. C. hemitricha.

Disci in *pileo* color difficilis indicatu, e subfuligineo fuscescens: margo pilis sericeis canus. Passim locis pinetorum sterilibus nascitur species nobis parum frequens. Septembri, Octobri.

458. A. C. crocea.

Color dilutior profundiorve per varios gradus, sed lutei mixturam constanter servans. Pervulgata est species in sylvis sicciusculis acerosis, praesertim pineis; sed vix alibi apud nos obvia. Per totum autumnum.

459. A. C. cinnamomea.

Cognata utique antecedenti: colore praesertim exacte cinnamomeo distans. *Pileus* enim in utrâque mox minute squamulosus, mox cum nitore sericeo laevis: ita nec nota a lamellarum annexione formâque desumta satis constans dicenda. Nascitur locis cum praecedente iisdem, minus quidem frequens illâ, neutiquam tamen rara. Sept. Oct.

460. A. C. castanea.

α, terrestris

Differt a sequente affini colore pilei exactissime castaneo, umbone lato valde obtuso, lamellis rotundato-adnexis, stipite breviore (rarius anomale subelongato) crassiore firmiore, toto albido-fibrilloso. Hab. in sylvaticis, praesertim abietinis, passim. Sept. Oct.

461. A. C. decipiens.

Polymorpha species et vaga, pilei (nonnumquam infracti) formâ, stipitis longitudine et crassitie etc. multimode ludens: notis tamen modo enumeratis ab antecedente, sicuti laevitie inprimis cortinâque obsoletâ a *Lepiotâ flexipede* distinguenda. Abunde provenit in sylvaticis ubique fere. Per totum autumnum.

462. A. C. armeniaca.

Color totius fungi laetior opaciorve pro temporis sicci vel humidi, loci aprici vel umbrosi ratione; id quod in plurimis Agaricorum speciebus obtinet. Solitaria nascitur haec in sylvis variis, acerosis aeque ac frondosis, hinc illinc haud infrequens. Sept. Oct.

463. A. C. diluta.

Pileus mox prorsus helvolus, mox versus cinnamomeum vergens, 1/1½ unc. latus: et in universum exempla nostra descriptione *Persoonianâ* plerumque aliquanto minora ac tenuiora. Crescit locis consimilibus ac praecedens, cui subaffinis est ac coaeva; sed rariuscula.

464. A. C. pyriodora.

Color *pilei* cinerascens aut subfuligineus. *Odorem* fungi nostri ei potius, quem *Violae odoratae* flores spargunt, quam pyrino aequiparaverimus. Rarior in regionibus nostris praecoxque species aliquoties in sylvaticis sicciusculis, praesertim in pinetis viarum comes etc. reperta fuit. Julio, Augusto.

C. GYMNOPODES.

OBS. Familiam hancce, characteribus vix nisi negativis innixam, terminis in confinio praesertim *Cortinariarum*, *Mycaenarum* ac *Omphaliarum* parum certis contineri, inter omnes constat. Atque hûc illud potissimum spectat, quod exemplis infra compluribus confirmandum in universum jam praemonemus, *Gymnopodum* scilicet numerum, si veli in junioribus etiam praesentis (prout par est) rationem iniveris, haud parum imminuendum, *Cortinariarum* contra augendum esse — ac veram ita inter utramque tribum proportionem restitutum iri.

a) *Badii, rufi etc.*

465. A. G. pratensis.

α, communis

δ, vitulinus

Totus fungus compactus durus parum succulentus, frigori inde diu resistens, autumni serotini amans. *Stipes* saepe admodum brevis. Mixtim provenit utraque var.

in pratis, pascuis, versuris apricis gramine tenui vestitis siccioribus, praesertim editioribus, ubique fere. Rarior Septembri; frequentior Oct. Nov.

466. A. G. cohaerens.

Species est ex elegantissimis, admirabile naturae artificium. *Stipites* basi membranâ communi uniti, subfasciculati (rarius solitarii), rigidi, cornei, glaberrimi, lucidi, pulcherrime castanei, sursum pallidi. *Pileus* 1/1½uncialis, formosus, tactu et adspectu mollis, velutinus quasi. — Nonnisi terrestris nobis in populetis praesertim humidis opacis umbrosissimis inter folia putrida degit hinc inde (*Moholzer Haide; Quizdorf;*) satis frequens. Aug. Sept. rarius Oct.

467. A. G. trichopus.

γγ. *virgatus*

Solitarius gregariusque carnosus compactus firmus laevis, pileo convexo late umbonato rufo-brunneo utplurimum nigro-virgato, lamellis subconfertis adnexis flavidis demum rufescentibus, stipite firmo subcylindrico pileo subconcolore, basi albo-tomentoso. *Pileus* 2½/3 unc. latus, regularis, obtuse lateque umbonatus, demum planiusculus; circa marginem interdum striis remotis brevibus verticalibus distinctus. *Lamellae* haud raro rufomaculatae. *Stipes* vix bulbosus, biuncialis fere, 4/6 lin. crassus, solidus. Media evidenter est var. inter *G. trichopoda β*, et *G. leucophyllum*, commodum heic locum nacta, specie propriâ novâque vix digna. Crescit in sylvis pratisque nostratibus passim frequens. Augusto et sqq.

468. A. G. leucophyllus.

Umbo mediocris, nonnumquam obsoletus. *Stipes* firmus, durus. *Lamellae* constanter ac persistenter albae, sed saepe aeque ac stipes sordide rubro-maculatae. *Sapo-*

rem distinctum non animadvertimus. In sylvis acerosis, apprime pineis, non infrequens reperitur medio autumno.

469. A. G. rimosus.

Magis e sententiâ nostrâ ab insequente discrepat formâ, tegumento, colore, staturâ, quam ut specie cum eo conjunctus remanere possit. *Pileus* acutiuscule conicus lutescit, sed rufi coloris parum in nostris admixtum habet: striis paullo obscurioribus longitudinaliter rimosus, ceterum laevis, quin glabellus. *Lamellae* argillaceae, cinerascente-pruinatae: *stipes* dilutior, pallidus vel albidus. Pilei margo haud raro plus minus lobatus. Loca amat graminosa humidiuscula pratorum aeque ac sylvarum, quae minime rarus passim colit praecocior praesertim — a Junio in Septembris finem.

470. A. G. vialis.

Affinis quadantenus *Cortinariis vaccinae* et *arenatae:* junior manifeste saepe cortinatus. *Pileus* hemisphaericus, obtuse et obsolete umbonatus, hinc inde rimosus, squamis plus minus squarrosis tectus. *Lamellae* cum *stipite* initio albidae colorem paullatim pilei induunt. Pervulgatus hic est viarum praesertim in pinetis arenosarum satelles, glebulis soli sordens, parum gratus visu. Aestate exeunte et autumno.

471. A. G. curvipes.

Parum succulentus est, inde satis diu asservabilis. *Stipes* in nostris vix bulbosus: *statura* descriptione Synopseos undique duplo fere minor, ex loco forsan natali macriore. Non enim nisi in truncis ramisque aridis emortuis *Rosae caninae* hactenus aliquoties (*Thiemendorf; Küchenwiese*) a nobis inventus, et variis quidem anni temporibus — Maio, Julio, Octobri.

472. A. G. radicatus.

α, vaccinus

γγ, olivascens

Stipes ad 6—8 uncias apud nos quoque interdum excrescit: plerumque tamen 4/5uncialis, deorsum plus minus incrassatus. *Radix* ad 2—3 unc. elongata, dura, stricta. *Pileus* 1—2uncialis, tempore humido valde viscosus, sereno siccus. Rarius obvenit in sylvis acerosis, frequentius in frondosis umbrosis vel apriciusculis (*Quizdorf; Eulenwald; Sohlander und Löbauer Berg*) Aug. Sept. Ab hâc *α*, differt *γγ*, nostra *staturâ* paullo minore; *pileo* e viridi subolivaceo, glutine spisso tenaci obtecto; *lamellis* adnexis quidem, sed facile secedentibus nec ullàtenus decurrentibus, ex albo demum fuligineis, *subnebulosis; stipite* tenui prorsus cylindrico. Haec itaque aliam speciem, imo familiam, sibi poscere utique videtur: at unicum tantum ejus exemplar locis umbrosissimis (*Quizdorf*) inter folia putria pronatum hactenus obvium nobis factum. Medio Septembri.

473. A. G. velutipes.

α, velutipes

Stipes, apice excepto laeviusculo pallente, tomento obductus velutino mollissimo castaneo vel fusco. Truncigenum et nos utplurimum invenimus (in *Salicibus Capreâ* et *albâ L.* rarius in *Fago* ac *Aesculo*) fungum pulchrum; semel tamen etiam bisve (ad *Diehsa*) epigaeum habuimus ad basin truncorum, *radice* tum verticali praelongâ (3—4unciali) subtereti, nec nisi deorsum evidentius attenuatâ, instructum. Parcior ac imperfectior Septembri jam prodit et Octobri: laetius copiosiusque viget Nov. Dec. Jan.

474. A. G. picreus.

Truncos incolit varios putredine paene confectos locis

umbrosis hinc inde (*Schöpswiesen; Moholzer Haide; Sohlander Berg*); at parum sane frequens in regionibus nostris. Augusto et Septembri.

475. A. G. acutus.

Umbo pro ratione magnus, exacte conicus, plerumque paene niger. Species *Cortinariae decipienti* quantumvis proxima aliquâtenus tamen nitore suo, cortinâ vix ullâ, ac coloribus umbone excepto dilutioribus ab eâ discerni potest. Sylvas incolit acerosas, praesertim abietinas, passim frequens; una cum Octobri in lucem prodiens.

476. A. G. Cucumis.

Est var. β, in *Obss. mycol.* l. c. indicata, quae vero ab α, separari vix meretur. *Pileus* vel totus fuscus, vel margine dilutior in rufum vergens. *Stipes* subsolidus, deorsum niger, sursum fuscopurpureus. *Odor* praesertim in fúngo putrescente gravis, halecinus. Rara species et tarda, nonnisi bis lecta terrestris (*Seer Lohgruben; Sohlander Berg*) Oct. Nov.

477. A. G. pumilus.

Serotinus est noster, sed descriptioni *Persoonianae* ceterum exacte aggruus, locis suis passim obvius Octobri, Novembri.

478. A. G. conspersus.

ββ, *ochraceus*

Tegumentum farinaceo - squamulosum, ejusdem fere, quae est in *Lepiotis*, indolis, totum primo fungum obvolvens, post explicationem etiam in *pileo* ac *stipite* persistit: quod speciebus tenellis alioquin insolitum notatu omnino dignum est. Discrepat ceterum var. nostra ab α, colore (lamellis cinnamomeis exceptis) ochraceo, *lamellis* emarginato - subliberis, ac loco natali. Innascitur enim muscis, pinorum acubus etc. locis sylvarum ace-

rosarum udis hinc inde, aestivalis aeque ac autumnalis. Junio, Julio et seqq.

b) *Flavi, virides etc.*

479. A. G. flavo-virens.

α, vulgaris

ββ, pinastreti

Pileus in *α*, firmus, compactus, subinaequalis, irregulariter depressus, flavidus, sed disco utplurimum subrufescens, ibidemque (in exemplis perfectioribus) squamulis fusco-nigricantibus conspicuus. Subtus color unicolor vivide citrinus sive sulphureus, si squamas exceperis (easque saepe obliteratas) *stipitis* — ceterum validi, crassiusculi, brevis seu mediocris, rarius elongati, plerumque teretis. Vias praecipue arenosas pinetorum assidue comitatur, glareae glebulis saepe inquinata, autumno tardiore Oct. Nov. Cum hâc coloribus locoque convenit *ββ*,: sed distat *staturâ* minore (pileo biunciali fere etc.), *habitu* multo tenuiore, squamularum defectu, et praesertim *lamellis* valde confertis angustis ac tenuibus — unde a propriâ specie haud sane procul abesse visa fuit. Sed ne quid praepropere ageremus; semel modo (*Trebusser Allee*) in pinastreto sicco repertam hûc apponendam duximus. Utraque ceterum inodora est. Praecociorem habuimus *ββ*, ineunte Septembri.

480. A. G. leucoxanthus.

Pileus colore variat albo, pallido, flavo, sed pilis longitudinalibus adpressis nigricantibus semper pictus est; triuncialis ceterum et ultra. *Sapor odorque* mitiusculus in nostris. Frequens occurrit in pinastretis ericetisque siccis, etiam apriciusculis. Sept. Oct.

481. A. G. rutilans.

α, communis

Saepe novitatis specie oculos e longinquo attrahit fungus formâ, staturâ, crescendi modo perquam variabilis; sed cominus inspectus squamulis *pilei stipitis*que rubellis numquam non tuto dignoscendus. *Lamellae* in nostris constantissime amoene flavae. *Stipes* solidus, robustus. Vulgata nobis species in sylvis praesertim acerosis, secus vias umbrosas etc. Per totum autumnum.

482. A. G. luridus.

α, luridus

β, cinereus

γγ, rubescens

Stipes mediocris, breviusculus, firmus, satis crassus, varie adscendens; in *α*, albidus vel pallidus, rarius subfuligineus; in *β*, cinerascens; in *γγ*, maculis rubellis majusculis anomalis variegatus. Ita in hâc et *pileus*, ceteroquin mox luridus, mox pallidus, nonnumquam etiam totus sordide rubescens. *Habitus* ceterum hujus speciei praecedentibus consonus fore: nec *statura* multo minor est. Mixtae incolunt varr. omnes tres sylvas item praecipue acerosas, autumno humido frequentes, sicco rarissimae. Septembri, Octobri.

483. A. G. luteo-virens NOBIS.

A. G. subcaespitosus, pileo carnoso duro subflexuoso pulverulento sordide lutescente-viridi, lamellis confertis angustis subliberis pallentibus, stipite solido crasso brevi sursum incrassato squamuloso toto albo.

Ejusdem cum antecedentibus (N. 479—482.) est familiae naturalis: a quibus tamen affatim diversum descriptio nostra demonstrabit. *Substantia* dura. *Stipes* saepe brevissimus, 6 fere lineas longus totidemque versus apicem crassus, rarius ad unciam (vix ultra) productus, obconicus, luculenter squamulosus. *Lamellae* vix adnexae, ob pileum varie depressum nonnumquam

circa medium subventricosae apparent, sed revera lineares sunt, angustae, congestae, ex albo pallescentes. *Pileus* 2—2½ unc. latus, plus minus irregularis, saepe anomale rimoso-tessellatus, disco praesertim pulvere quasi tenui leviter tectus; *margo* subinvolutus, albo-subtomentosus. Totus fungus curtus compactus firmus. Amat sylvas acerosas sicciusculas, sed parum frequens occurrit (*Häselachen; Dubrau; Basalthügel*). Septembri, primoque Octobri.

484. A. G. subglobosus NOBIS.

A. G. unicolor flavidus minor, pileo subviscoso carnoso-membranaceo hemisphaerico-campanulato, lamellis subliberis ventricosis latissimis, stipite tenui breviusculo cylindrico.

Coloris caussâ huc collocavimus fungum quamvis a sequentibus aeque ac praecedentibus alienissimum, quum vere cognatos ei nullos nossemus. Etsi enim *A. Coprinum semiglobatum* primo obtutu (pede brevi excepto) ob magnitudinem pileique colorem ac formam satis exacte referat, ab eo tamen praeter reliquas notas lamellis prorsus et constanter immutabilibus (*xanthospermus* enim est) toto coelo distat. *Stipes* uncialis fere vel paullo longior, strictus, striatus. *Lamellae* versus stipitem truncatae, vix adnexae, latitudine longitudinem aequante subquadratae vel rhombeae, *pilei* hemisphaerium non modo explent, verum et aliquatenus superando formam toti capiti subglobosam (diametri ¾uncialis fere) conciliant. Rarior et solitaria species terrestris in pinetis siccioribus (*Trebus; See*). Medio Septembri.

485. A. G. cerinus.

α, opacus

ββ, splendens

Var. α, pulchra aeque ac rara in regionibus nostris se-

mel tantum loco humido umbroso (*Moholzer Haide*) inventa fuit Septembri medio. Huic aggrua ββ, colore, staturâ, formâ, discrepat *pileo* lucido splendente, nec opaco, et *lamellis* multo dilutioribus ac praesertim distinctis latiusculis: unde quum characteres a lamellarum formâ, numero situque suppeditatos e praestantioribus esse satis constet, sejunctu haud indigna videtur. Aliquoties hanc legimus in abietinis muscosis (*Moholzer Haide* hinc illinc; *Sohlander Berg*): item Septembri.

486. A. G. sulphureus.

α, sulphureus

Pileus flavescens, sed disco in nostris utplurimum rubedine sordidâ afflatus. Subtus totus fungus unicolor exacte sulphureus; *stipes* vix dilutior *lamellis*. *Odor* in hâc specie constans et vere diagnosticus. Eligit sibi loca humidiuscula opaca sylvarum mixtarum, quae passim minime infrequens incolit Sept. Oct.

487. A. G. odorus.

β, anisatus

Odor in hâc quoque specie distinctus, diu persistens, constans, aniseus. *Sapor* gratus, ei, qui est in *Artemisiâ Dracunculo L.*, haud absimilis. *Color* dilute aeruginosus aut (si malueris) glaucus, interdum prorsus exalbidus; vel in toto fungo unicolor, vel subtus tantillum dilutior profundiorve. *Stipes* consenescens, praesertim ubi gelû tactus fuit, obesissime ventricosus evadere solet. Abunde provenit in sylvis umbrosissimis opacis, apprime abietinis muscosis, locisvè foliis putribus obtectis. Septembri, Octobri.

488. A. G. raphanoides.

Lamellae confertiusculae, subangustae. *Pileus* e viridi olivaceus, ad visum aeque ac tactum subtomentosum sese exhibens. *Cortina* in junioribus manifesta, fibrillosa,

dein evanida. *Odor* debilis in nostris. Parcum fungum et sparsum aliquoties legimus in sylvaticis umbrosis (*Moholzer Haide; Küchenwiese; Sohlander Berg*). Exeunte Septembri.

489. A. G. dulcamarus.

Exempla juniora *Cortinariam* et hanc esse, velo fugaci instructam, demonstrant. *Stipes* subcavus, subfibrillosus. Sapor *Glycyrrhizae* dilutus. Varietatem hujus speciei habemus alteram *autumnalem* squamulis pilei appressis, lamellis dilutius olivascentibus; alteram *aestivalem* squamis distinctioribus subsquarrosis, lamellis saturatius olivaceis. Invenimus illam in sylvis hinc inde (*Eulenwald; Sohlander Berg*) sub finem Septembris: hanc loco unico nemoroso umbroso (*Heinrichsruh*) gregariam medio Junio.

490. A. G. fastibilis.

β, *circinans*
γ, *involvatus*
δ, *lepturus*
ε, *versicolor*

In β, locis nemorosis vel apriciusculis graminosis vulgari *pileus* lubricus potius tempore humido quam viscosus, interdum subumbonatus, mox totus albidus, mox disco rufescens: *lamellae* demum aquose cinnamomeae. In γ, loco humido caeduo (*Moholzer Haide*) semel lectâ Septembri, flocci volvae diruptae superstites in pileo ac stipite cernuntur. δ, denique et ε, passim quoque in sylvaticis apprime frondosis (*Moholzer Haide; hohe Linde;* etc.) nobis obvenere, *lamellis* et hae nonnunquam humidis substillantibus. Aestate exeunte et autumno.

491. A. G. fertilis.

Pileus obsolete umbonatus, albidus, sed colore caesio vel subfuligineo haud raro afflatus. Nexum cum *Pru-*

nulo, *Pluteo* etc. naturalem pulveris copia colorque prodit. Gregaria, imo subcaespitosa, occurrit species vel sylvatica locis semiapricis (v. c. *Buchenwäldchen*) vel hortensis hinc inde juxta sepes etc. Maio, Junio: iterum Septembri.

492. A. G. collinus.

In graminosis sicciusculis, pratis, pascuis, versuris — coelo madido frequens: perennis paene dicendus, tempestate nimirum favente vernalis et aestivus aeque ac autumnalis.

c) *Coccinei etc. nitentes.*

493. A. G. coccineus.

Magnitudo plerumque mediocris: interdum tamen specimina etiam ingentia habuimus, *pileo* triunciali etc. Vulgaris ceterum est species, in pratis aliisve gramineis praesertim humidiusculis ubique fere obvia. Per totum autumnum.

494. A. G. conicus.

α, *hilaris*

β, *tristis*

Lamellae in *β*, nonnumquam basi, praecedentis ad instar, subconnexae. Vulnera mox atrescunt. Specimina passim parvula, teneriora, semipellucida, margine substriata. Pratensis utraque et frequens: vulgatior tamen *β*,. Autumno.

495. A. G. psittacinus.

Color flavus, luteus, fulvus — taeniis maculisque amoene viridibus, in sicco etiam haud raro persistentibus, pictus. Loca graminea sicciuscula hinc inde incolit species pulchra, coelo sereno rarissima, pluvio frequens; tardior antecedentibus. Septembri et praesertim Octobri.

496. A. G. ceraceus.

α, hypoxanthus

Pileus nitens, minus magisve viscidus. Loca diligit affinium more aprica graminosa, pascua, prata, versuras; at in dumosis quoque umbrosis hinc illinc invenitur, subgregarius, antecedenti contemporalis.

497. A. G. leoninus.

β, chrysophaeus

Pileus hemisphaericus, dein planiusculus, laevis vel subsquamulosus, uncialis fere. Parcior in regionibus nostris, aliquoties in sylvis opacis umbrosissimis (*Moholzer Haide; hohe Linde*) ad radices truncorum solitarius inventus. Augusto et Septembri.

d) *Roseo-rubri.*

498. A. G. purus.

α, roseus

β, ianthinus

γ, purpureus

Species ex elegantioribus. *Stipes* ex eorum more, qui e foliorum putrescentium stratis assurgunt, basi saepe incurvus, adscendens, villo radicali instructus, ceterum glaberrimus, lucens, sursum dilutior. *Pileus* ex hemisphaerico dein planiusculus, margine substriatus. Odor *Raphani* plus minus distinctus. Nascuntur varr. omnes tres in sylvaticis umbrosis frondosis, nec acerosis, mixtae: rariores vere humido, crebrae aestate finiente et autumno.

e) *Violacei.*

499. A. G. geophilus.

Cortina initialis evidens, sed mox depauperata, fugax. *Pileus* demum fere totus exalbescit. Frequens incolit loca sylvarum variarum umbrosa. Septembri, Octobri.

500. A. G. eumorphus.

Colorum in *pileo* mixtura difficillima explicatu: forma grata regularis. Totus fungus succulentus ad *Cortinariarum* naturam accedere videtur. Praeamat betuleta, alneta, aliave loca dumis frondosis obsita, quae haud infrequens passim colit (v. c. *Moholzer Haide; Diehse; Sohlander Vorgebirge;*). Sub finem Septembris et Octobri.

501. A. G. euchrous.

Color subtus praesertim saturate ac purissime violaceus. Fascicularem bis reperimus fungum praepulchrum: primâ vice (*Brettmühl*) in trunco vetusto *alneo* — secundâ in *coryleo* (*Diehser Anlagen*). Septembri, Octobri.

502. A. G. chalybaeus.

Cf. *Icon. pictae* tab. IV. fig. 3. 4. Species item e pulcherrimis. Provenit locis sicciusculis gramineis vel herbosis passim (v. g. *Polsbruch* in arvo derelicto; *Sproizer Hügel;*). Praesertim Septembri.

f) *Nigricantes.*

503. A. G. myomyces.

α, communis

β, argyraceus

Provenit *α,* in sylvis variis hinc inde, haud tamen apprime frequens in terris nostratibus. Septembri et praesertim Octobri. Var. *β,* elegans, candida, sed in pileo squamulis confertis nigricantibus aequaliter conspersa, rarior nobis est, hactenus nonnisi semel in sylvaticis umbrosissimis (*Moholzer Haide*) subgregaria reperta; versus finem Septembris.

504. A. G. obscurus.

ββ, rimosus

Pileus tenuis quidem, attamen satis firmus, carnosus,

obtusissime umbonatus, convexus, crasse et adpresse squamoso - rimosus (pseudo - squamis latis laevibus), ¾ — 1 unc. diametro aequans, fuliginosus, in olivaceum ipse quoque aliquantum vergens. *Lamellae* latae, distinctae, crassae. *Stipes* solidus, firmus, laevis imo glabriusculus, nonnumquam e basi incurvâ adscendens, modice longus, 1/2uncialis, lamellis olivaceo - fuligineis fere concolor. Vulnera fungo ubicunque illata rubescunt atque exin paullatim denigrantur: ac in universum cognatio quaedam inter eum *Omphaliam*que *adustam*, quantumvis formâ ac volumine diversissimam, naturalis evidenter intercedit. Inde quam ambigui de veritate loci hujus, quem speciei nostrae assignavimus, haereamus, facile intelligetur: qui fungum *Persoonianum* coram habent, judicium ferunto. Occurrit noster in sylvis abietinis muscosis graminosisve, etiam apriciusculis, montanis hinc illinc (*Basalthügel; Löbauer und Sohlander Berg*). Septembri, Octobri.

505. A. G. fumosus.

A. G. nebulari minor, rigidior, opacior. *Sapor* in nostris mitis. Mox solitarius, mox gregarius caespitosusve crescit locis graminosis umbrosis passim, non infrequens. Antecedenti coaevus.

506. A. G. atro - cinereus.

ββ, medius

Intermedia esse videtur var. nostra inter α, et *G. dasypoda:* ab utrâque tamen peculiaribus etiam notis discedens. *Stipes* sesquiuncialis, 4/6 lineas crassus, solidus, apice fibrillosus, deorsum laevis. *Pileus* biuncialis fere, convexus, obtusius acutiusve umbonatus, glabriusculus, murinus. *Odor* parum distinctus: *sapor* ingratus, vehemens, acris. Nascitur in sylvis abietinis muscosis sicciusculis, aliquoties lecta (*Moholzer Haide; Hölle*). Sept.

507. A. G. nebularis.
Solidus, durus, gravis. *Pilei* umbo nigricat; margo primo valde revolutus. In sylvis passim (*Lohgruben; Diehser Anlagen* etc.) Sept. et seqq.

508. A. G. pullus.
Pileus ad 6 uncias haud raro dilatatur, planus, disciformis: consenescens byssum quandam lanuginosam albidam sparsam saepiuscule alit. Locis umbrosis frondosis aeque ac acerosis passim obvenit (*Schöpswiesen; Sohlander Berg*) paullo tardior: medio Octobri et ultra.

509. A. G. adstringens.

β, *Placenta Batsch.*

Pauca, quae de fungo *Batschiano* in *Synops.* II. p. 361 afferuntur, satis quidem idonea sunt: anne tamen noster ad *G. hortensem* propius pertineat? nondum nobis liquere fatemur. *Stipes* deorsum subincrassatus, ceterum teres, strictus, solidus vel subcavus, triuncialis, 4 lin. fere crassus, pileo concolor, sed dilutior. *Lamellae* adnexae sed non decurrentes, distinctae, latiusculae, ex albo demum saturate carneae. *Pileus* umbonatus, circa umbonem depressus, ceterum planiusculus, glaber, subcarnosus, tenuis, fragiliusculus, biuncialis fere, fuligineo-cinereus: ejus *substantia* spongioso - aquosa humida. *Sapor odorve* distinctus nullus. In sylvaticis umbrosissimis madidis (*Moholzer Haide* passim; *Schöpswiesen*) abunde. Septembri.

510. A. G. tephroleucus.
Obiter inspectus *G. limacinum* sese facile mentitur, a quo tamen valde diversum curatius evincit examen. Sylvas sibi eligit praesertim abietinas montosas muscosas, in quibus frequens occupat loca humentia, latera rivulorum etc. (v. c. *Eulenwald; Arnsdorfer Berge*). Est e serioribus, vigens inprimis Octobri.

511. A. G. clavipes.

Variat *pilei* margine mox albicante, mox disco concolore: *lamellae* eleganter et constanter arcuatae. *Stipes* obclavatus, basi haud raro valde ventricosus. *Diameter* pilei 1 — 2 unciarum. Crescit mox sparsus, mox gregarius (seriatus vel subcircinans) locis nemorosis umbrosis gramineis udis hinc inde frequens: rarius in pinetis invenitur. — Septembri, Octobri.

512. A. G. pustulatus.

α, *pustulatus*
β, *consimilis*
γ, *brevis*

Familiae naturalis ejusdem cum *G. eburneo*, *discoideo* etc. participem lamellarum forma situsque docent. Omnes tres varr. (γ, parcior) mixtae sylvas praesertim abietinas muscosas montosas frequentes incolunt, autumno medio.

513. A. G. camarophyllus NOBIS.

A. G. pileo carnoso convexo-plano laeviusculo sicco nigricante margine inflexo, lamellis distantibus arcuatis decurrentibus albis, stipite solido firmo longiusculo tereti deorsum subattenuato.

α, *fuligineus*
β, *atramentosus*

Est in var. α, *pileus* nec umbonatus nec viscosus, compactus, subfibrilloso-striatus, disco applanatus, margine inflexus, triuncialis et ultra, fuligineo-nigrescens: *lamellae* valde fornicatae, latiusculae: *stipes* validus, rectus, substriatus, laevis, 3/4 uncias longus, semunciam fere crassus, pileo dilutior, cinereo-fuligineus. *Cortinae* nullum unquam vestigium. Hinc quam diversus sit fungus noster a *G. clavipede* et *limacino*, cum quorum vel hoc vel illo quadantenus quoad lamellas comparari

posset, nemo non videbit. Ab α, discrepat β, *pileo* coeruleo-atro (colore exacte atramentoso), *stipite* toto quanto prorsus concolore, striis in neutro ullis: major porro est, valde robusta, crassa, pileo quadriunciali fere, stipite 4 unc. longo, 1 crasso. *Lamellae* in utrâque initio candidae, dein albae, subpallentes: *caro* alba. Nascuntur in sylvis abietinis muscosis α, depressis subhumentibus passim (*Moholzer Haide; Polsbruch; Häselachen* etc.) non infrequens Septembri — β, montosis umbrosis (*Sohlander Berg* hinc illinc) ineunte Octobri.

514. A. G. limacinus.

$\beta\beta$, *umbonatus*

Differt fungus noster a *Persooniano* umbone praesertim lamellisque distantibus: sed notis pluribus gravioribusque, quam ut specie secerni possint, utrumque convenire, ex descriptione ampliore nostrâ illico patebit. *Pileus* 1/1½ unc. latus, ex hemisphaerico planiusculus, acute (rarius obtusiuscule) umbonatus, coelo madido valde glutinosus, sereno sicciusculus, olivaceo-umbrinus, nigrescente- (sed verticaliter *nec* circinatim) plus minus striatus. *Lamellae* distantes, latiusculae, decurrentes, cum stipitis apice persistenter candidae. *Stipes* 1½/2½ unc. longus, 3/4 lin. crassus, solidus, teres aut versus basin subattenuatus, infra apicem albido umbrinoque varius, pigmento nimirum pileo concolore glutinoso, squamas rimasve transversales aemulante, obductus. *Cortinaria* videlicet est haec species; quoad *veli* (quod filamentis e glutine productis constat, fugax in aliis, at in aliis satis diu persistens) indolem historiamque consona fere cum *C. collinitâ*. Avide a limacibus insectisque propter *saporem* mitem dulcem appetita, saepissime semidevorata offenditur: solitaria gregariave in

sylvis acerosis nostratibus ubique pervulgata. Septembri primoque Octobri.

515. A. G. Vitellum NOBIS. Tab. X. f. 4.

A. G. pileo carnoso viscoso subumbonato convexo-plano demum subdepresso olivaceo-umbrino, lamellis distantibus decurrentibus stipiteque vitellinis.

Nexu naturali quantumvis arcto cum antecedente junctum vel ob partium subteriorum colorem separare fas duximus. *Pileus* uncialis et paullo ultra, umbone vel obtuso obsoleto vel vix ullo instructus, minus viscosus, tempore sicco ipse quoque prorsus siccus, rarius nigricante-subvirgatus, vetustus nonnumquam subomphalodes. Subtus color e dilute flavo dein profundior, vitellinus, unicolor, constans: *cortina* concolor, fugacissima, in junioribus tamen nonnullis distincte observata. *Lamellarum* natura situsque prorsus qualis in praecedente. *Stipes* 1 — 2 unc. longus, 2/3 lin. crassus, teres, solidus, infra veli locum plus minus fibrillosus, rarius etiam squamarum umbrinarum transversalium rudimenta quaedam ostendens. Amat sylvarum acerosarum, et apprime quidem *pinearum*, praesertim margines gramineos depressos humidiusculos, quos copiose ubique fere occupare solet autumno serotino, *G. limacini* successor: versus medium enim Octobrem abeunte illo, pronascitur hic noster, leniorem exin perdurans Novembrem.

516. A. G. melaleucus.

Statura, forma, glabrities, substantia spongiosa fragilis — a *G. adstringente* ββ, nostro N. 509 haud procul abest: a quo tamen praeter colorem *pilei* profundiorem satis superque distat hic noster *lamellis* congestis subliberis ac praecipue nullatenus incarnascentibus, sed potius e candido dein pallidis ac denique pulvere spermatico copiosius delapso subfuliginеis. *Stipes* in nostris

basi parum incrassatus. Speciem nobis raram in abiegnis humidis umbrosis (*Moholzer Haide; Sohlander Berg*) bis legimus exeunte Septembri.

517. A. G. Pluteus.

α, vulgatus

β, rigens

Pileus in *β*, e formâ convexâ subhemisphaericâ dein planus (id quod in *α*, quoque obtinet), imo saepe plus minus depressus; disco rugosus, subfibrilloso-squamulosus. Hab. *α*, ad truncos varios solitaria, sed frequens: *β*, praesertim ad cortices vaporarios (*Seer Lohgruben*) quotannis redux. Sept. et seqq.

518. A. G. nanus.

Rarus fungus a nobis quoque intra vetustos truncos excavatos bis (*Jänkendorf; See;*) inventus: sub finem Augusti.

519. A. G. humilis.

Gregarius, subcaespitosus: robustus, curtus, crassus, ponderosus. Discrepat quidem noster notâ unâ alterâve a *Persooniano:* varietatem tamen vix mereri visus fuit. *Pilei* color e murino nigricans; disci squamulae vix ullae, contra in fungo senili byssus saepe praesens mucoriformis albida sparsa. *Lamellae* pallidae, in nonnullis sordide subflavescentes. *Stipes* prorsus cylindricus, rarius basi subincrassatus, vix ultra unciam longus, sed ½ — ¾ unc. crassus. Reliqua omnia cum descriptione *Synopseos* exacte congruunt. Duobus hactenus locis observavimus hancce speciem: in vaporario nimirum cortice (*Seer Lehmgruben*) et in abietinis montosis muscosis (*Sohlander Berg*). Finiente Septembri et inprimis Oct. Nov.

520. A. G. platyphyllus.

Pileus mox dilutius mox profundius cinereus, in fuligi-

neum abiens: umbo, uti assolet, saturatior. *Lamellae* dein albidae, pallescentes. *Substantia* parum compacta, fragilis. Epigaeus in terris nostratibus obvenit, circa basin truncorum, locis sylvaticis humidiusculis (*Moholzer Haide* etc.) passim non infrequens: jam aestivus, praesertim tamen autumnalis.

521. A. G. leiopus.

α, fuligineus

ββ, vaccinus

Species stipite facile dignoscenda. *Pileus* 2/3uncialis. *Stipes* praesertim deorsum valde striatus; in *α*, sursum dilutior, in *ββ*, totus pileo saturate rufo brunnescenti concolor. Crescit *α*, (ad quam cf. *Icon. pict.* I. tab. II. fig. 1. 2. 3.) in sylvis acerosis copiose: *ββ*, minus frequens, attamen passim (*Polsbruch; Duberau;* etc.) non rara. Septembri et sqq.

g) *Albi.*

522. A. G. albus.

Stipes crassus, brevior aut (ubi e graminibus altioribus pronascitur) longior, utplurimum cylindricus; attamen et basi vel subincrassatum vel subattenuatum vidimus. *Lamellae* subserrulatae, valde emarginatae. *Pileus* laevis, nisi quod tempore sicco quandoque squamoso-rimosus inveniatur, interdum subflexuosus: semel bisve micorem quendam subrubellum, aliâ vice maculas sparsas parcas pulchre sanguineas in eo animadvertimus. Diligit loca sicciuscula tenuiore gramine induta, betuleta ericosa etc.: in quibus hinc inde, nec infrequens, occurrit Sept. Oct.

523. A. G. eburneus.

α, longipes

β, brevipes

Pileus demum pallescit. Frequens utraque var. incolit sylvas umbrosas dumetave frondosa. Sept. Oct.

524. A. G. discoideus.

Color in *disco* pilei *Omphaliae* fere *gilvae:* in *margine* albidus, pallidus, flavescens. *Lamellae* tenerae. Crescit in abietinis muscosis umbrosis (*Basalthügel; Sohlander Berg*) gregarius vel subcaespitosus, sed autumno sicco rarissimus. Paullo tardior: vigens praeprimis Octobri.

525. A. G. chrysodon.

ββ, leucodon

Discrepat var. nostra ab *α*, *pileo* amoene convexo et praesertim flocculorum marginalium villique in stipitis apice annularis colore albo: reliqua omnia, etiam *stipipitis lamellarum*que (in nostris nudarum) color, exacte conveniunt. Parcior adest in regionibus nostris fungus elegans, in umbrosis nemorosis nonnisi bis hactenus (*Basalthügel* rarissimus; *Sohlander Berg* passim frequentior) repertus. Exeunte Septembri et Octobri.

526. A. G. rubescens.

Species formosa, eximie pulchra. Totus plerumque fungus eleganter rubescit ita, ut rubor fundamento albo quasi superflatus appareat: sed disci intensior est color. *Stipes* aeque ac *pileus* coelo humente lubricus, solidus, valens, ad unciam usque in perfectioribus sursum incrassatus. Sylvas sectatur mixtas amoenas umbrosas (*Moholzer Haide* hinc illinc; *Sohlander und Löbauer Berg* non infrequens). Sept. Oct.

527. A. G. purpurascens NOBIS.

A. G. subcaespitosus, pileo carnoso sicciusculo subsquamuloso convexo-plano albo, disco purpurascente, margine initio involuto tomentoso, lamellis subdistantibus sub-

decurrentibus albis, stipite mediocri solido squamuloso cylindrico pileo concolore.

Ambigui aliquamdiu haesimus, anne fungus noster cum *G. ionide* aut *G. Russulâ* (*Synops.* II. p. 338. 339) conjungendus esset? sed quum eum socium familiae naturalis modo (NN. 523 — 526) recensitae esse, lamellae cum toto habitu evidenter demonstrarent, nec *Russulam* ullatenus referret, characteresque praeterea alii quoque obstarent, propriae speciei loco eum, tantisper saltem, proponere satius duximus. *Pileus* 1½ — 3 unc. latus, demum margine evoluto nudo planus vel nonnumquam inaequaliter subdepressus, squamulis (interdum in strias subdispositis) purpureis disco pictus, margine candidus. *Lamellae* ejusdem utique, ac in antecedentibus, formae, sitûs, tenuitatis etc.; albae, demum quandoque, inprimis margine, purpurascentes. *Stipes* 2 uncias fere longus, 3/6 lin. crassus, solidus, teres, albus, squamulis parvis purpureis variegatus, annulo ejusdem coloris apice infra lamellas saepe pictus. Occurrit species pulchra in sylvaticis abietinis umbrosis muscosis (*Basalthügel; Sohlander Berg* aliquot locis greges ingentes efformans). Sub finem Septembris et praecipue Octobri.

528. A. G. sericeus.

Statura in nostris ab omni parte aliquanto minor; *pileus* uncialis fere etc. Color pilei initio candidus, dein pallescens aut subflavescens. *Lamellae* ex incarnato demum opacius rubrae. *Stipes* mox fibrillis obsitus, mox laeviusculus. Nascitur in gramineis, versuris, pratis etc. humidiusculis umbrosis apricisque (v. c. *Seer Steinbruch; Edelknabe; Lohgruben*) hinc inde, sed parum frequens. Augusto et seqq.

529. A. G. erythropus.

α, terrestris

ββ, truncigenus

γγ, aestivalis

Var. α, memorabilem, nobis quoque rarissimam, semel tantum in umbrosis udis alnetorum ac populetorum (*Moholzer Haide*) invenire contigit sub Septembris finem. Crebrior hâc passim (*Lehmgruben; Basalthügel; Moholzer Haide; Eulenwald*) occurrit ββ, fascicularis, subradicata, in caudicibus *fagineis*, *betulinis* etc. epixyla, rarius ad basin truncorum epigaea, *stipitibus* laxis subflexuosis elongatis (3/4uncialibus) eleganter laeteque rubentibus, *pilei* (sesquiuncialis) disco rubedine item dilutâ afflato, primum convexo, dein depresso ac plus minus distincte umbilicato. Est hic forsan *G. repens* Bulliardi: stipites saltem laxos decumbentes varie nonnumquam flexos haud adeo inepte repentes dixeris: et profecto lamellis, substantiâ, stipite glabro utrimque sulcato, intus etiam (licet minus distincte) villoso etc. proprior est τῇ α, quam ut specie sejungendum censeamus. Viget Sept. Oct. Porro brevibus etiam describenda venit var. γγ, dignior fortasse separatu, major, *pileo* bi- s. triunciali subcarnoso fragili planiusculo albido-pallente disco saepe subrufescente, *lamellis* confertiusculis adnexis concoloribus, *stipitibus* extus intusque laevibus subteretibus (vix compressis) rufo-subcastaneis. Frequens provenit hinc inde in sylvarum penetralibus muscosis, praesertim sphagnosis paludosis, subcaespitosa, Junio: parcior et imperfectior iterum autumno.

530. A. G. confluens.

α, albus

ββ, rufo-cinnamomeus

In *α*, rariore nobis, nec nisi in sylvaticis remotioribus (*Chemnizer Busch*) hactenus medio autumno obviâ, *lamellae* valde confertae sunt et angustae, *stipes* tenuiter pulveraceo-tomentosus, *pileus* siccus albus, *situs* vere caespitosus. Cum hâc convenit quidem *ββ*, substantiâ siccâ, stipite (licet grossius) tomentoso-subvilloso, situ etiam quodammodo arcte gregario circinante vel subseriato: at distat etiam notis compluribus gravibusque, speciem propriam subsuadentibus. *Pileus* 1/5uncialis subumbonatus tenuis, in majoribus margine subundulatus striato-plicatus, e rufo subcinnamomeus: *lamellae* adnexae angustae subdistinctae subflexuosae concolores, sed dilutiores: *stipes* 1½—3 unc. longus, 2/4 lin. crassus, teres, vix compressus, subsolidus, strictus, barbâ longiore cinerascente (alienigenâ?) in nonnullis sparsim strigosus. Crescit satis frequens in pinetis nostris Sept. et seqq.

531. A. G. cretaceus.

Gregarius: specimina alia solitaria, alia caespitosa. In sylvaticis umbrosissimis inter muscos foliaque putrida (*Moholzer Haide* aliquot locis), sed parum frequens. Medio Septembri.

532. A. G. rivulosus.

ββ, amarus

Praeter *saporem* constanter amarissimum felleum differt etiam var. nostra *staturâ* ampliore ac *colore* (si pilei discum *saturate* rufum exceperis) toto candido. *Pileus* 1½/3 unc. latus, modice convexus, dein planiusculus, subtiliter concentrice squamuloso-rivulosus, margine initio involutus. *Lamellae* confertissimae, valde angustae, plano-subdecurrentes. *Stipes* 1/2 unc. longus, 3/4 lin. crassus, solidus, strictus, teres, obsolete tomentosus. Si quis sejunctam maluerit speciem, haud

profecto multum recusaturi sumus. In sylvaticis mixtis humidiusculis (*Moholzer Haide* diversis locis) semel lecta fuit aestate, saepius autumno: sylvas apriciusculas sectari videtur. Jun. Sept. Oct.

533. A. G. sordarius.

Nascitur in sylvaticis, praeprimis acerosis, circum arbores hinc illinc, gregarius, haud adeo rarus. Septembri, Octobri.

534. A. G. maculatus NOBIS.

A. G. subcaespitosus candidus, passim sordide rufo-maculatus, pileo carnoso compacto convexo demum plano, lamellis confertissimis angustis emarginato-adnexis subpallescentibus, stipite longo subsolido laevi.

Est e majoribus. *Color* (maculis exceptis irregularibus, per totum fungum crebrius parciusve sparsis, saepe magnis, contusionum veluti speciem praebentibus) purissime candidus: nisi quod imbribus diuturnis praeviis in pileo dilute rufescens nonnumquam inveniatur. *Pileus* initio aequaliter hemisphaerico-convexus, margine involuto subtomentoso; dein paullatim applanatur, demum planissimus, exacte disciformis: 3—4uncialis plerumque, interdum tamen etiam ad semipedalem usque latitudinem ampliatus. *Lamellae* arcte congestae, planae, lineares, pro ratione pilei valde angustae. *Stipes* substriatus, demum caviusculus, vel teres vel basi aliquantum attenuatus, 4/6 lin. crassus, utplurimum rectus, verticalis, tri-s. quadriuncialis; at ubi e muscis altioribus protruditur, subflexuosus subadscendens ad 5/6 unc. haud raro assurgit. Frequens occurrit in sylvarum acerosarum humidis muscosis et praesertim paludosis sphagnosis, ubique fere. Sept. Oct.

535. A. G. adhaerens NOBIS.

A. G. caespitosus truncigenus agglutinans, pileo convexo

demum plano - subdepresso lacunuloso carnoso sordide pallente, lamellis distinctis tenuissimis lineatim longe decurrentibus albis, stipite subradicato cavo mediocri pileo concolore.

Species ab omnibus, quotquot hactenus novimus, distinctissima, inter *Gymnopodas Omphaliasque* media: an ad *Agar. adhaesivum* Wither. trahenda? vix tamen putaverimus. Totus fungus paene siccus et glutine tamen quodam parco tenace persistente obductus, nonnunquam veluti pulverulentus. *Caro* molliuscula levis (subsuberosam dixeris) quasi elastica: gustata insipidam sese simulat, sed paullo post vehementer adstringit. *Odor* distinctus nullus. *Pileus* ¾ — 1½ unc. latus, primo subumbonatus convexus, e plano dein subdepressus, interdum paene infundibuliformis demum evadit; ceterum rugoso - lacunulosus, ex albo sordide pallescens vel dilutissime rufescens. *Lamellae* secus marginem prae tenuitate pellucente subtiliter papyraceâ fere semper varie fissae, juxta stipitem ad angulum rectum infractae longe lineatim, ut stipes inde striatus appareat, decurrunt. *Stipes* radicè brevi ligno infixus, basi saepe subincurvus, nonnumquam totus obliquus subexcentricus, teres, cavus sed tamen firmus. Incolit truncos putridos (saepe subconsumtos) praesertim abietinos hinc inde, (*Moholzer Haide; Sohlander Berg; Eulenwald*). Septembri et seqq. hyemem mitiorem perdurans, post quam superstes etiamnum invenitur Mart. Apr.

536. A. G. parasiticus.

α, pallescens

Aetate juniore pruinâ quâdam caesio - cinereâ, in adultis evanidâ, totus obductus. *Pileus* semiglobosus, margine subinflexus. *Lamellae* rarae, satis crassae, fuscescentes. *Stipes* solidus, rectus in nostris, villosus po-

tius quam pilosus. Fungi rarissimi semel tantum exempla aliquot diversae aetatis, aggregata, tomento albo insidentia, in pileo *Omphaliae adustae* senilis exsuccae inventa fuere parasitica: loco abietino muscoso umbroso humidiusculo (*Moholzer Haide*). Primo Octobri.

537. A. G. **argillaceus.**
α, decolorans
β, immutabilis

Var. *α*, magnitudine ludit variabili. *Pileus* utplurimum ½ — 1 unc. latus est: specimina tamen haud rara etiam obveniunt sesqui-imo biuncialia. *Lamellae* subemarginato-adnexae. *β*, praesertim fertilitate multo minore (quod omnino notabile) differt, unde lamellas nonnisi leviter decolorare par est. *Cortina* in junioribus var. utriusque praesens. Incolunt loca graminosa umbrosa juxta oras sylvarum variarum: *α*, hinc inde frequens, *β*, (*Sproizer Hügel*) parcior. Septembri, Octobri.

538. A. G. **tricholoma** NOBIS.

A. G. subparvus, pileo carnoso-membranaceo plano demum depresso nitente albo, pilis sparsis appressis hirto, margine ciliato; lamellis confertis decurrentibus ex argillaceo fuscescentibus; stipite mediocri tenui sursum subincrassato squamuloso-piloso albicante.

Satis superque differt a praecedente pileo nec conico nec umbonato, lamellarum indole ac situ, pilositate etc.: ita et a sequente notis sufficientibus distinctam speciem esse, utriusque descriptio docebit. *Pileus* semuncialis fere, tenuis, sed tenax (minime fragilis), demum subinfundibuliformis: ejus *pili* dein rufescunt: *cilia* marginem aequaliter cingentia, subrecta, una cum squamulis stipitis tandem obliterantur. *Stipes* unc. 1 et paullo ultra longus, lin. 1 crassus, sed tamen satis firmus, praesertim sursum squamulosus. In montosis gra-

mineis muscosisve secus margines sylvarum aliquoties obvenit (*Löbauer und Sohlander Berg*) Septembri.

539. A. G. scabellus NOBIS. Tab. IX. f. 6.

A. G. parvus siccus, pileo membranaceo planiusculo substriato subzonato albido pilis rufis adsperso, disco rufescente subpapillato demum depresso; lamellis albidis liberis; stipite longiusculo recto striatulo furfuraceo-squamuloso rufo-badio.

Affinitas huic naturalis cum seqq.; quae, ne ad *Mycaenas* ablegaretur vel ad *Omphalias*, prohibuit. *Pileus* 3/4 lin. latus, nonnunquam demum subumbilicatus: *lamellae* distinctae, simplices, subventricosae: *stipes* 1/2 unc. longus, sursum dilutior, squamulis dein obsoletis. *Odor* distinctus nullus. Totus fungus, more sequentium, siccus, tenax, diu asservabilis. Nascitur in versuris, pascuis etc. gramine tenui vestitis (*Nisky; Cane; Thiemendorf; Diehse;* etc.) aestate et autumno.

540. A. G. alliatus.

Pileus juniorum convexus, e sordide rufo pallescens: adultorum planus, subdepressus, expallidus, plus minus rugosus. *Stipes* deorsum saturate rufus, in senioribus subnigricans; sursum dilutior. Exemplar semel legimus monstrosum quadrupes, pileo biunciali e speciminibus 4 coalito. Totus fungus, in statu recenti graveolens, in usum culinarem (*Mouceron* nostratibus plerisque dictus) adhibetur. Loca amat sicciora graminosa, versuras, pascua, margines pinetorum: frequens Aug. et seqq.

541. A. G. calopus.

Statura in nostris plerumque praecedente paullo major; *pileus* item quandoque rugulosus. Sed differt *lamellis*, *odore*que prorsus nullo. In gramineis, versuris etc. hinc inde (*See; Güthe;* etc.) Septembri.

542. A. G. tuberosus.
α, ecirrhis
β, cirrhatus

Primo obtutu similis speciminibus semievolutis *Mycaenae vulgaris*. *Pileus* vix striatus. Exempla *stipitem* versus basin tumidum gerentia in nostris quoque regionibus haud raro obvia. Parcior occurrit *β*, locis suffocatis sub foliis putrefactis madentibus aliquoties lecta; satis frequens *α*, mox *Agaricis* putridissimis denigratis ipsis, mox *Sclerotio fungorum* intra illorum lamellas parasitanti innata. Septembri et seqq.

543. A. G. ramealis.

Pileus nec striatus, nec pellucidus, demum planus, tempore humido plus minus rufescens, sicco albidus simulque (more *Agaricorum* tenellorum tenacium siccorum) valde corrugatus et contractus, unde tum difficilior observatu. Totos saepe dense obtegit ramulos exsuccos deciduos arborum frondosarum variarum, in umbrosis, frequens. Julio et seqq.

D. MYCAENAE.

544. A. M. alliacea.

Pileus tempore humido fuscescens, sicco expallidus. *Stipes* elongatus nigricans, nonnumquam fere totus niger. *Odor* in recenti vehemens, penetrans: in languescente debilis. Locus plerumque terrestris, inter folia semiputria faginea; rarius epixylus, *radice* fungi tum verticali subtereti longiore, imo longissimâ: semipedalem enim aliquando invenimus. Crescit in umbrosis udis sparsim (*Eulenwald* satis frequens, nec alibi). Julio, Augusto: sed crebrior Septembri, Octobri.

545. A. M. galericulata.

α, livida

β, albida

γ, praemorsa

δ, epigaea

εε, rubella

Vulgatissima ubique provenit var. α,; nec rarae sunt β, γ, aestate et praesertim autumno. δ, praepulchra semel tantum reperta terrestris, caespitosa imo fasciculata, stipitibus *radicatis* elongatis flavo-coccineis. Loco graminoso humidiusculo (*Moholzer Haide*) sub finem Septembris. Huc porro accedit εε, item terrestris, in caespites et greges longos latosque effusa, stipitibus subradicatis albidis incarnascentibus, pileis albis disco amoene rubellis. In udis uliginosis sylvarum opaciorum passim occurrit frequens Septembri, Octobri.

546. A. M. polygramma.

α, cinerascens

Exempla cucullata, primo adspectu *Coprinum* mentientia, descriptioni *Batschianae* var. γ, *atrocyaneae* exacte respondentia, haud rara sunt nobis; sed evidenter, rite augurante cl. *Persoon*, fungos sistunt juniores ad α, pertinentes. In nemorosis, graminosis etc. passim, non infrequens. Sept. et seqq.

547. A. M. aestiva.

Nimis affinis praecedentibus. In sylvis acerosis (*Moholzer Haide* et alibi) non rara. Julio, Augusto.

548. A. M. atro-alba.

Cognata haec quoque antecedentibus; attamen notis (prout *Boltonii* jam evincit descriptio) sufficientibus diversa. Arcte caespitosus vel fascicularis truncis putridis praeprimis abietinis innascitur fungus serotinus, quos *radice* breviore longioreve rectâ barbatâ nigricante in-

trat. *Stipes* basi, praesertim in junioribus, saepe valde tumet, unde ad uncias 3/4 dein plerumque elongatur. *Pileus* initio margine subinvoluto ellipsoideus: dein exacte et persistenter campanulatus. Ejus *apex* intense niger est, unde aetate adultâ color versus *marginem* per livido-coeruleum albescit: simili fere ratione stipes etiam e nigricante sursum pallere solet. Consenescens totus fungus paullo dilutior evadit. Loca amat umbrosa humida, quae passim (*Seer Lehmgruben; hohe Linde; Jänkendorf; Ullersdorf*) incolit Novembri, Decembri: unde vitam per hyemem pluviam totam producens etiamnum invenitur Mart. Apr.

549. A. M. galopus.

Pileus cum *lamellis* pro loci diversitate modo exsuccus, modo ipse quoque plus minus lactescens: ejus *apex* nigricat. Vulgata nobis species muscos appetit altiores, inprimis Sphagna, quibus *radice* inhaeret albo-villosâ saepe satis longâ. In sylvaticis uliginosis ubique. Sept. Oct.

550. A. M. haematopus.

Fasciculata, stipitibus saepe (loci caussâ) incurvis; habitu crescendique modo *M. galericulatam* referens. *Tota* in nostris (nec pileo nec lamellis exceptis) succum crebrum intense purpureum promit. In truncis putridissimis *abiegnis* (vix aliis) aliquoties lecta (*Moholzer Haide* passim; *Tränke*) Aug. Sept.

551. A. M. laevigata.

Pileus parum striatus, vertice obtuso campanulatus, 4/6 lin. diametro aequans. *Stipes* (cujus in universum longitudo in *Agaricis*, et praesertim quidem tenellis, a loco natali magis pendet, quam ut characterem paullo stabiliorem suppeditare possit) ad 4 unc. et ultra, ubi (quod saepe fit) per muscos proceros altiora petit, protrahi-

tur. Locis sylvarum acerosarum humidis ubique fere. Septembri, Octobri.

552. A. M. pilosa.

Totus fungillus interdum tomento quodam perquam tenui cinerascente (forsan heterogeneo) obductus. *Pileus*, cujus papillae saepe obsoletae sunt, ludit inter formam hemisphaericam et campanulatam: hâc indutus, *M. galopodi* dilutius coloratae haud absimilem sese monstrat: sed succus constanter mere aqueus est. Sparsa crescit haec species locis umbrosis humentibus inter folia putrida etc. passim, non infrequens. Autumno medio.

553. A. M. flavipes.

Stipes basi intensius flavus. *Pileus* aequaliter et saepe luculenter plicatus: *staturâ* porro et *siccitate* discrepat ab insequente, a quâ tamen num specie sejungenda? vix affirmarimus. Crescit in sylvis umbrosis acerosis (*Moholzer Haide; Seer Lehmgruben*) hinc inde, sed parum frequens. Septembri, Octobri.

554. A. M. epipterygia.

α, plumbeo-caesia
β, flavida
γ, glaucophylla

Totus fungus coelo pluvio lubricus, sed *stipes* tenax, glutinosus. *Pilei* vertex, prout assolet, saturatiore colore distinctus, fuscescens, cinereus etc. Vulgaris species in sylvis acerosis truncigena: varr. tres promiscuae. Autumno.

555. A. M. lineata.

Pileus variat formâ nunc campanulatâ, nunc hemisphaericâ. *Stipes* basi tomentulo niveo obductus, sursum pileo subconcolor. Hab. solitaria gregariaque in graminosis apricis et umbrosis (*Seer Lehmgruben; Abendweg*) infrequens. Aestivalis et autumnalis.

556. A. M. luteo-alba.

Fungillus siccus, sequente parum major. Color pilei stipitisque amoene flavus. *Pileus* papillâ unâ vel alterâ fastigiatus, *conicus*, *acutus:* quâ notâ distinguitur haecce species a *M. epipterygiâ* aeque ac *M. citrinellâ*, inter quas media fere ceterum prostat. Incolit pinetorum loca muscosa vel nuda (*Häselachen; todter Mann; Moholzer Haide*) parcior. Septembri.

557. A. M. citrinella.

α, citrinella

Pileus ante explicationem oblongus, vertice nigricans, in formam evolvitur hemisphaericam vel late campanulatam, totus jam citrinus, 2/3 lin. diametro aequans. *Stipes* subviscosus. Acubus pineis abietinisque etc. innascitur locis umbrosis humentibus (*Moholzer Haide; Schöpswiesen; hohe Linde* etc.) haud rara. Sept. Oct.

558. A. M. rubiginosa.

Vix est nisi varietas insignior sequentis, a quâ praecipue differt colore, inprimis stipitis, saturatiore. In muscosis sylvarum ubique frequens. Autumno.

559. A. M. hypnorum.

α, hypnophilus

β, bryophilus

γ, sphagnorum

Vulgatae sunt locis suis varr. omnes tres, magnitudine, stipitis praesertim staturâ, pro diversâ loci natalis conditione, satis variabiles. Ab aestate finiente in tardum usque autumnum.

560. A. M. tenera.

α, communis

γγ, vaporaria

Convenit γγ, cum α, formâ, colore, teneritudine, fragilitate: sed distat *staturâ* ultra duplum majore (*pileo*

semunciam fere alto, diametro unciali etc.) *striis*que marginalibus-tantum et parum expressis, quod a pileo oritur disco (etiamsi fragillimo) subcarnoso. Forma obtusius acutiusve campanulata, vertice nonnumquam pilosiusculo. *Lamellae* pileo subconcolores. — Hab. α, in gramineis humidiusculis pinguioribus hinc inde satis frequens; γγ, praesertim in cortice vaporario (*Seer Lohgruben*) gregaria, rarius alibi passim solitaria terrestris, observata. Aug. et seqq.

561. A. M. pilosella.

Discrepat ab antecedente, ad quam justo forsan propius accedit, staturâ inprimis minore, vertice distinctius piloso, et loco natali. *Pileus* apice in nostris acutiusculo campanulato-conicus. Semel inventus fungilli rari grex truncum putridum abietinum (*faule Brücken*) incolens; ineunte Octobri.

562. A. M. tenacella.

Cf. *Icon. pict.* I. tab. I. fig. 3. 4. *Stipes* longitudine varians, saepe valde tenax. *Pileum* etiam totum laevem invenimus, umbone plus minus distincto instructum, 3/6 linearum latitudine ludentem. In sylvis acerosis passim. Sept. et seqq.

563. A. M. conigena.

ββ, *pallens*

Differt var. nostra *pileo* pallido disco opaciore rufescente, 4/6 lin. lato, et *sapore* miti: verum congruit characteribus reliquis ad unum omnibus, *lamellis* valde confertis angustis, *pileo* plus minus difformi subquadrato etc. Parasitatur species distinctissima solitaria gregariaque in Strobilis *Pinorum sylvestris* et *Abietis*, rarior (*Steinbruch; Basalthügel; Moholzer Haide; Sohlander Berg*) Sept. Oct. Nov.

564. A. M. esculenta.

α, vernalis

Pileus e sordide flavo argillaceus, disco saepe fuscescens: ceterum subcarnosus, parum striatus. *Lamellae* satis confertae, latiusculae, stipiti laxe adhaerentes. *Sapor* in stipite praesertim subamaricans, ceterum haud ingratus: fungillum tamen huncce in terris nostris uspiam in ciborum condimentum assumi ipsumve nudum comedi, compertum hactenus non habemus. Solitarius, sed tempestate humidâ perfrequens, non sylvas tantum acerosas frondosasque, verum et graminea aprica, versuras, pascua, imo arva, passim incolit Aprili et Maio.

565. A. M. Stylobates.

Saepe totus albus est fungus elegantulus, minime nobis rarus locis umbrosis in foliis graminum, arborum plantarumque variarum siccis aut semiputribus (*Monplaisir; Seer Lehmgruben; Basalthügel; Schöpswiesen;* etc.) Septembri et seqq.

566. A. M. elegans.

Eximie pulchra. *Pileus* 4/6 lin. latus, ad umbonem usque striatus, late campanulatus, demum hemisphaerico-planiusculus. *Lamellae* margine vivide croceae. *Stipes* rectus, staturâ ludens variâ: succus aqueus. Nascitur inter folia putrida etc. in sylvis mixtis, apprime montosis, hinc illinc (v. g. *Duberau; Moholzer Haide* passim; *Arnsdorfer Berge; Sohlander Berg*). Septembri et seqq. in Decembrem usque.

567. A. M. sanguinolenta NOBIS.

A. M. solitaria terrestris tenera rubella subpurpurascens, pileo membranaceo late campanulato exsucco, lamellis distinctis dilutioribus lineâ atropurpureâ margine pictis, stipite gracili stricto elongato succum dilute sanguineum stillante.

Ex hâc diagnosi, quantum species elegans novaque a *M. haematopode* N. 550 differat, facile intellectum iri speramus. Inter Sphagna aliosque muscos praesertim proliriores paludosos, loca uda sylvatica obtegentes, provenit sparsa: initio opace rubra, dein sensim dilutior, vertice profundiore purpurascente: genuina prorsus *Mycaena* habitu, formâ, substantiâ, teneritate. *Pileus* campanulato-hemisphaericus, 3/4 lineas diametro aequans, taeniâ angustâ atropurpureâ ipse quoque saepe marginatus. *Lamellae* adscendentes, latiusculae. *Stipes* pileo fere concolor, ad 3/4 unc. elongatus, succo rubello refertus. Haud rarus occurrit fungillus locis supra indicatis hinc illinc. Augusto et seqq.

568. A. M. strobilina.

Differt ab insequente *pileo* paullo majore, subcarnoso, parum striato, arctius campanulato, acutiuscule umbonato, vivacius (coccineo-) rubro — et praesertim *stipite* firmiore crassiore solido, deorsum subincrassato lanâ albâ hirsutâ densâ obsito caudato. In *Pini* ramulis acubusque ter vel quater parasitantem reperimus (*Basalthügel; Quizdorf; Moholzer Haide* aliquot locis) — Septembri, Octobri.

569. A. M. rosea.

Pileus late campanulatus, demum planiusculus. *Stipes* gracilis, saepe elongatus, dilute rosellus. Crescit in sylvis acerosis, locis praesertim udis sphagnosis, abunde. Per totum autumnum.

570. A. M. integrella.

α, terrestris

ββ, lignatilis

Var. *α*, in umbrosis frondosis aliquoties (*Monplaisir; Schöpswiesen; Trebus;*) reperta fuit, fasciculata, etiam subsolitaria, parum frequens. Septembri. Distat ab

hâc *ββ*, *situ* prorsus sparso, *stipite* subincurvo solidiore firmiore breviore (vix unciali), *lamellis* omnibus integris, *loco*que natali. Legimus enim eam (nonnisi semel, sed satis crebram) ad asseres aquaeductuum madentes semiputres (circa hortum *Jänkendorfensem*). Sub finem Augusti.

571. A. M. lactea.

α, villipes

β, pitya

Crescit *α*, in sylvis acerosis vel epigaea vel ramulis acubusve pineis innata passim frequens. Nec *β*, rara est, minutie basique discrepans. *Pilei* in hâc papillae subobsoletae: *stipes* 1½/2 unc. longus gracilis, basi radiculis albis sericeis densis circumcirca in orbem radiatim expansis acubus Pinorum inhaerens. Locis umbrosis (*Moholzer Haide* etc.). Viget utraque var. vere jam humido, Maio, Junio: redux autumno, Sept. Oct.

572. A. M. vulgaris.

Pileus latitudine variat a 2 lineis ad semunciam usque, demum planus centro subdepresso. Ejus discus *stipiti* concolor e cinereo rufescens (griseus): margo cum *lamellis* albidus. Fungilli pervulgati greges in sylvaticis acerosis corpusculis variis humi jacentibus superfusi, epiphylli, epixyli, terrestres etc. Septembri et sqq.

573. A. M. Corticola.

Cortices amat vetustos muscosos, sed vivos, arborum frondosarum, *Tiliae*, *Quercûs* etc. quos copiose incolit, sed difficilior indagatu. Non enim tantum inter Lichenes muscosque semidelitescit, sed etiam, postquam inter ipsos imbres laete viguit, paucis jam horis serenis elapsis marcidissima adeo corrugata imminuitur, ut oculum minus attentum facillime fugiat. Autumnalis et hyemalis.

E. COPRINI.

a) *Membranacei.*

574. A. C. comatus.

α, campanulatus

Pileus campanulatus, paraboloideus. *Lamellarum* liquor ater, atramentarius. Fungus in feracioribus Germaniae ditionibus vulgaris, a solo nostro arenoso sterili parum admissus nonnisi perquam rarus locis aliquot pagi ipsius nostri graminosis pinguioribus quotannis redire consuevit medio fere Septembri. — Eâdemque de caussâ, quam modo indicavimus, integram *Coprinorum* gentem in regionibus hisce specierum aeque ac individuorum admodum inopem esse dolemus.

575. A. C. cinereus.

β, tomentosus

Pileus semunciam fere altus. *Stipes* pro ratione brevis, 1½/2 unc. (nec ultra) longus, tomento denso niveo tectus. *Lamellae* pro familiae more totae demum atrescentes. Crescit locis fertilibus ad sepes subpaganas, in hortis etc. hinc inde sparsus. Maio et seqq. in Octobrem usque.

576. A. C. ferrugineus.

α, sylvaticus

β, hortensis

Utraque var. nunc truncigena, nunc terrestris, staturâ variabili ludens, *pileo* ½/1 unc. alto etc. Crescit α, caespitosa in umbrosis humentibus aliquot locis (*Seer Lehmgruben; Ullersdorfer Schloſsgartenmauer*) Septembri: β, in hortis (*Anstaltsgarten; Jänkendorfer Schloſsgarten*) Junio, Julio.

577. A. C. disseminatus.

α, minor

Salices cavas (*Ullersdorf*) et *Tilias* (*Trebusser Allee*) gregibus numerosissimis obtegentem aliquoties observavimus post pluvias diuturnas. Septembri, Octobri.

578. A. C. domesticus.

Nascitur quidem noster in hortis, gramineis etc. passim, in muris hactenus non inventus: attamen ob *pilei* sulcos valde undulatos aliosque characteres hûc referendus visus fuit. *Pileus* initio digitaliformis. Ejus vertex laevis, subspadiceus. *Stipes* 3/4 uncias longus. Non infrequens occurrit locis supra indicatis: vere et praesertim autumno.

579. A. C. pulcher.

α, pratensis

Pileus demum planus, disciformis; plicis aliis simplicibus, aliis furcatis sulcatus. Amat species elegans, nomine suo digna, praesertim prata aliave loca graminosa humidiuscula amoene virentia, quae sparsim incolit (*Niesky*; *Jänkendorf*; *Ullersdorf*): aeque hilariter vigens vere miti pluvio ac autumno tepente.

580. A. C. ephemerus.

Occurrit hinc inde in fimetis locisve qualibuscunque stercorosis (v. c. *Jänkendorfer Mistbeete*) haud infrequens, fugax, pileo mox introvoluto periens. Observatus nobis praecipue Maio, Junio.

581. A. C. radiatus.

Pileus initio ex ovato campanulatus, sordide ochreus, cinereo-tomentosus, opacus, lin. 1 fere latus, 2 altus, *stipite* brevi firmo suffultus: at cito in staturam prolixiorem gracilem exsurgit fungillus jam titubans, pileum simul in discum tenerrimum, *lamellis* parcis (5—8) translucentibus radiatum, explanans, qui paullo post fissus collabitur et evanescit. Pervulgata est species, in stercore equino vaccinoque locis humidis umbrosis

jacente vix unquam non proveniens, sed ob minutiem teneritatemque facilis neglectu. Vernalis et autumnalis.

b) *Subcarnosi.*

582. A. C. semiglobatus.

Annulus parvus, fibrosus, pulvere spermatico nigro (sicuti saepe et stipitis apex) conspersus, admodum fugax, nec nisi rarius reperiundus. Vulgaris ubique fungus ad fimum bubulinum, equinum etc.: parcior in graminosis pinguibus. Perennis fere.

583. A. C. semiovatus.

Annulus in hâc quoque specie saepe evanidus. *Pileus* parum lacunosus. Magnitudo variabilis: plerumque tamen in nostris paullo minor, quam in antecedente. Provenit satis frequens autumno pluvio, rarissimus sicco, in sylvarum acerosarum humidiorum stercore vaccino (v. c. *Hasensteg; todter Mann; Polsbruch; Eulenwald*) locis pinguioribus gramineis. Sept. Oct.

584. A. C. papilionaceus.

α, major

Pileus mox acutius, mox obtusius campanulatus, nonnunquam hinc squamulosus; aliâ vice membranulâ inaequaliter lacerâ circumcirca appendiculatus, unde margo quasi crenatus apparet. *Stipes* pulvere semineo copioso aterrimo demum totus fere inquinatus. Hab. in pratis, pascuis, versuris etc. inter gramina passim frequens. Aestate atque autumno.

585. A. C. foenisicii.

Affatim distinctus a praecedente quamvis cognato. *Lamellae* subemarginato-adnexae. Item graminum amans, pratensis; rarius a nobis quoque stercoreus repertus. Haud infrequens hinc illinc viget aestivalis: a Maio in Octobrem usque.

586. A. C. fimicola.

α, communis

ββ, platyphyllos

Lamellae sordidé fuscae, in α, modice latae, totae adnexae. Nascitur α, rarius in fimo, frequentius in graminosis fertilibus subumbrosis, quandoque etiam in udis muscosis, *stipite* tum ad 4 — 5 unc. haud raro protruso. Huic similis ββ, quoad *pilei* colorem, substantiam, formam etc.: sed discrepat stipite mediocri (sesqui - s. biunciali) et inprimis lamellis ventricosis valde emarginato - adnexis subliberis, unde separatu haud indigna videtur. Parcior occurrit (*Moholzer Haide; Trebusser Busch;* etc.) loco et tempore congrua cum α,. Sept. Oct.

587. A. C. ericaeus.

Solitarius vel subcaespitosus frequens hinc inde occurrit in pinastretis ericetisque nostris, etiam siccioribus. Exeunte aestate et autumno.

588. A. C. nitidus.

Vix nisi varietatem praecedentis meretur: specimina enim quoad lamellas, colorem formamque pilei etc. inter utrumque fungum per varios gradus transeuntia haud rara adsunt. Satis frequens nobis locis adustis, sterilibus, ericosis, tenuiter graminosis (v. c. *Jänkendorfer und Ödernizer Busch; Moholzer Haide;*). Antecedenti contemporalis.

589. A. C. titubans.

Fungus pulcher, delicatus, valde titubans. *Pileus* viscidus, in centrum usque striatus, membranaceus (itaque nonne ad sectionem priorem translocandus?), initio conico - campanulatus, demum planus rotatus: disco eleganter flavus, margine et subtus (in *lamellis*) e carneo dein purpurascens, tandem fuscescens. *Stipes* laevis,

nitidus, tener, fragilis, lutescens. Semel gregaria lecta aliquot exempla (variarum aetatum) e stercore vaccino pronata, in viâ graminosâ umbrosâ sylvaticâ (*Moholzer Haide*). Exeunte Augusto.

590. A. C. Cepaestipes.

Est *A. cretaceus* Wither. arrang. IV. p. 219; *A. Cepaestipes α*, Pers. (*β*, speciem diversissimam supra introduximus ad N. 419.). *Pileus* exacte cretaceus, squamulis seu flocculis mollibus pilosis veluti gossypinis aequaliter obsitus — „tufted with cottony hairs" ait b. *Withering*, cujus in universum descriptio (*annulo* excepto in nostris satis fugace, in adultis plus minus evanescente) verbotenus congruit. *Lamellae* colorem album substantiamque et formam suam satis diu conservant, at demum tamen brunnescentes in laticem sordide fuscum diffluunt: cujus catastrophes auctorem anglicum mentionem nullam fecisse, quantumvis mirabundi, inde tamen, quod exempla seniora exoleta illi haud obtigerint, evenire potuisse judicamus. Itaque *Coprinis* omnino accensenda est haecce species: quam caespitosam frequentemque, quotannis redivivam, in cortice coriario recente habemus (*hinter dem Brüdergarten*): vigentem aestate et autumno.

F. PRATELLAE.

a) *Annulatae.*

591. A. P. edulis.

Pileus e convexo planiusculus, plerumque laevis, 3—4 unc. latus, interdum tamen etiam giganteus, spithamaeus et ultra: ceterum vel totus candidus, vel disco pallescens aut subflavescens. *Stipes* validus, staturâ varians. Haec est species, quam nunc solam, nunc sequenti in-

termixtam, nomine *Champignon* insignitam venum ferre solent ruricolae: sparsim, sed haud infrequenter, in ericetis, secus margines sylvarum inque sylvis acerosis ipsis crescentem. Sub finem aestatis et inde per totum autumnum.

592. A. P. campestris.

α, campestris

β, vaporaria

Stipes in *α*, utplurimum brevis: attamen et ad 2 — 2½ unc. productum invenimus. Occurrit haec nobis in umbrosis aeque ac apricis passim autumno. Var. *β*, staturâ, formâ et colore chocolatino distincta, etiam magis squamosa, in cortice vaporario (*Seer Lohgruben*; *Hermanns Lohhaufen*) spontanea provenit, aëre pluvio satis frequens. Aug. Sept.

593. A. P. echinata.

ββ, inermis

Fungum ambiguum ad *Amanitam virgatam* forsan traxissemus, si volvae vestigium vel minimum adesset: quâ deficiente, hic utique locus, ni propriam praetuleris speciem, satis commode ei assignari posse visus fuit. *Pileus* 1 — 1½ unc. latus, tenuis, subcarnosus, hemisphaericus, veluti pulverulentus, squamis *adpressis* inermibus e cinereo vel fuligineo fuscis aequaliter tectus, membranâ concolore lacerâ circum marginem appendiculatus. *Lamellae* confertae, versus stipitem latiores, sed emarginatae, vix adnexae: pulchre miniato-rubrae. *Stipes* teres, rectus, subbiuncialis, 2 lin. crassus, lamellis totus exacte concolor (nec purpureus), sed infra *annulum* (obsoletum, fugacem) lanâ floccosâ molli laxâ subdetersili pileo concolore obvolutus. Non infrequens, gregarius, caespitosus, cortici coriario (*Seer Lohgruben*) innascitur fungus noster Sept. Oct.

594. A. P. aeruginosa.

Plerumque epigaea in terris nostris: rarius epixyla. In sylvaticis mixtis umbrosis ubique fere, sparsa vel subgregaria. Septembri, Octobri.

595. A. P. praecox.

Exempla majora *P. eduli* haud adeo absimilia desuper apparent: a quâ tamen admodum diversa est haec species. *Pileus* nonnumquam umbonem quemdam habet obtusum latum, paullo profundius coloratum. *Lamellae* primo pallidae, demum dilute fuscescunt vel olivascunt; emarginato-adnexae subdecurrunt, interdum subserrulatae. *Stipes* firmus, saepe validus et elongatus. In versuris, pratis, hortis frequens passim nascitur, sed minor et sparsa: major gregariaque in cortice vaporario. Maio, Junio, Septembri.

596. A. P. silacea.

ββ, ebulbis

Subgregaria terrestris vel truncigena, pileo carnoso viscoso e flavo sordide rufo vel subolivascente, lamellis subdistinctis (vix virescente-) cinereis demum ferrugineo-fuscis, stipite pallido tereti (nec bulboso) cortinato. *Pileus* planiusculus, bi- s. triuncialis. Hûc fungum adnectere quamvis dubios jussit affinitas erga sequentes: quibuscum tamen quo minus conjungeretur, praeter reliquas notas prohibuere *sapor odor*que mitis. *Pulvis* seminalis sordide ferrugineus. Propriâ fortassis specie inter *Cortinarias* dignus satis frequens adest fungus in sylvis apprime acerosis. Sept. Oct.

597. A. P. lateritia.

α, communis

Copiose provenit ad truncos varios aliave ligna putrescentia, asseres, sepes hortorum etc. Per totum autumnum.

598. A. P. fascicularis.

α, primula

β, praticola

Cortina fugaciuscula, nonnumquam evanida. Vulgatissima est *α*, truncigena, etiam subterrestris circa basin truncorum locis prorsus iisdem cum praecedente: aestate et autumno. *β*, locis graminosis hinc inde occurrit (e. g. *Moholzer Haide*). — Septembri, Octobri.

b) *N u d a e.*

599. A. P. stipata.

α, nuda

β, appendiculata

Pileus in statu etiam humido colore variat, pallens, rufescens, livens, subspadiceus, fuscescens: ceterum laevis, ad tactum mollis sive lenis (ad instar fere *P. edulis*). Var. *β*, cortinâ lacerâ villosâ albidâ appendiculata, fasciculos saepe minores minusque confertos sistit, etiam subsolitaria occurrit. Utraque ad truncos varios passim, minime rara. Jun. et seqq. in Septembrem usque.

600. A. P. corrugis.

Pileus arcte campanulatus, ½ — 1 unc. altus, tempore sicco expallescens, praesertim in vertice. Sparsim crescit in (ipsius pagi nostri) aulis, semitis umbrosis, hortorum rejectamentis etc. Septembri, Octobri.

601. A. P. conocephala.

Mycaenae tenerae nobis quoque memoriam primo obtutu restaurabat. *Pileus* colore opaciore dilutioreve (sordide albescente) ludens, obtuse conicus, substriatus. *Lamellae* liberae, ex ochraceo rufae, dein nigrescunt ac diffluunt: unde *Coprinis* potius accensenda haec species. *Stipes* subbulbosus, elongatus, albus. Solitariam et parciorem aliquoties legimus locis graminosis

nemorosis domesticis vel hortensibus (*Cunnersdorf* ad arcem; *See*;) Julio, Augusto.

602. A. P. pascua.

Substantia aquosa. *Pileus* admodum fragilis. Ejusdem haec sequensque familiae naturalis participes sunt cum *Agarr. G. Pluteo*, *nano*, *Placentâ*. Color pilei nunc opacior nigricans, nunc e fuligineo pallens. Amat graminosa humidiuscula aprica aut subumbrosa, quae passim incolit haud infrequens, sparsa vel subgregaria. Septembri, Octobri.

603. A. P. fuliginea.

Justo forsitan propius accedit ad praecedentem, item fragillima. *Stipes* haud raro subteres. Nascitur hinc illinc in gramineis sylvaticis: autumno.

604. A. P. caesia.

ββ. *argyropus*

Fungum nostrum, notis plurimis (staturâ, formâ, situ subsolitario, pilei lamellarumque colore, stipite cavo) cum icone *Vahlianâ* convenientem, hûc collocare haud dubitavimus. Substantia tenera, praesertim in pileo fragillima. *Stipes* totus laevis, candidus, argenteus, nitens. *Lamellae* distinctae, nebulosae. *Pileus* planiusculus, non umbilicatus. Sylvatica nobis var. elegans, terrestris, locis umbrosis humidiusculis (*Moholzer Haide*) sparsim obvia, parcior. Septembri, Octobri.

605. A. P. montana.

γγ. *coriaria*

Aliorsum sane haec pertinere videtur: at quum, frequens olim in cortice coriario (*Seer Lohgruben*), per novissimos hosce annos non amplius comparuerit, quo primum posuimus loco, donec iterum curatius observari potuerit, descriptione licet imperfectâ appositâ, reliquendam duximus. *Pileus* semuncialis fere, subcarno-

sus, inaequaliter depressus, saepius propter situm arcte caespitosum margine varie sursum flexo, lobato vel fisso difformis, dilute fuligineus, aëre sicco pallens. *Lamellae* opace rubrae, demum brunnescentes subumbrinae. *Stipes* pileo praeter tomentum baseos niveum prorsus concolor, breviusculus ($\frac{3}{4}$ unc. fere longus), solidus, subelasticus, laevissimus, sublucidus, farinâ albâ (an *seminali?* quod si ita esset, procul a *Pratellis* amovendus foret fungus) utplurimum conspersus. Caespitosus, fascicularis, in greges longos latosque diffundebatur, loco supra pronunciato. Autumno.

G. LACTIFLUI.

a) *Leucocephali.*

606. A. L. piperatus.

α, lactescens

β, exsuccus

Var. *α*, frequens crescit in sylvis umbrosis muscosis, acerosis aeque ac frondosis: huic passim intermixta occurrit *β*, interdum gigantea. Sept. et sqq.

b) *Xanthocephali.*

607. A. L. torminosus.

Pileus colore variat, secus zonas saepe satis vivide ruber: speciem utplurimum albo rubroque jucunde variegatam prae se fert. Amat prata aliave loca graminosa apriciuscula, dumetis frondosis permixta, quae passim haudquaquam rarus incolit. Autumno.

608. A. L. theiogalus.

ββ, luteus

Succinctior est *Synopseos* descriptio, quam ut icone *Bulliardianâ* destituti fungum nostrum, quamvis staturâ,

colore etc. admodum diversus videatur, specie separare ausimus. *Pileus* 3—4—6 unc. latus; quid quod exempla aliquoties enormia gigantea, secundum mensuram exactam pedalia, invenimus! ceterum umbilicatus, plus minus expresse zonatus (praecedentis fere ad instar), viscidus, laete luteus; margine revoluto tomentoso, sed non villoso. *Lamellae* pallidae. *Stipes* breviusculus (1½/2uncialis), robustus, albus, maculis guttatis pallentibus pictus. *Lac* album ad aëris contactum illico amoene flavescit, in saturate sulphureum exin sub oculo observante transiens. In abiegnis muscosis (*Häselachen; Moholzer Haide; Sohlander und Löbauer Berg*) Septembri.

609. A. L. pallidus.

Stipes longitudine variat. *Pileus* lubricus, coloribus ludit (sed constanter dilutis) — flavido, pallente, incarnascente. *Lac* acerrimum. Sylvas amoenas umbrosas mixtas passim haud infrequens occupat (*Moholzer Haide; Häselachen; Tränke*) Sept. Oct.

610. A. L. testaceus.

α, *fulvo-cinnamomeus*

Colore vivace praepulchro, quo oculos e longinquo allicit, sylvarum (quas praeamat) abiegnarum muscosarum umbras mire exhilarat. *Pileus* haud raro ingens, ad 4—6 unc. dilatatus; nonnumquam tamen satis depressus, nunc subinfundibuliformis, nunc subumbilicatus. Viget Septembri.

611. A. L. deliciosus.

Pileus obsolete zonatus, laevis, coloribus saepe variis, praesertim viridi, micat aut variegatus est. Esculentus omnino nostratibus, a plerisque *Reisker* dictus inque deliciis habitus. Abunde crescit in sylvis praesertim acerosis, etiam sicciusculis, gregarius. Sept. et seqq.

c) *Erythrocephali.*

612. A. L. ruber.

Sylvarum praesertim *pinearum*, sicciorum aeque ac humidiorum, incola: ac inde omnium forsan Agaricorum vulgatissimus nostras. *Pileus* opace lateritius, inter 1½ et 4 unc. fere diametro varians, demum subinfundibuliformis, umbone quodam etiam tum saepe persistente. *Lamellae* e flavo subochreae. *Stipes* firmus, mediocris. Per totum autumnum: demum (more plurium) exsuccus.

613. A. L. subdulcis.

α, *rufus*
β, *cimicarius*
γ, *innocuus*
δ, *querceti*

Varr. α, β, in sylvis (et β, quidem inprimis acerosis) passim frequentes: γ, ibidem rarior (v. c. circa *Quizdorf;*): δ, in umbrosis frondosis fertilibus inter gramina hinc inde (*Quizdorf; Schöpswiesen;* etc.) Septembri, Octobri.

d) *Phaeocephali.*

614. A. L. umbrinus.

Pileus cum mixturâ quâdam olivascente umbrinus, aëre sicco nonnumquam expallidus, rarius subdepressus. *Stipes* subconcolor, dilutior. *Lamellae* pallidae, sordide lutescentes. Hab. in sylvaticis mixtis passim, autumno.

615. A. L. necator.

Statura mediocris. *Stipes* pileo dilutior. *Lamellae* fere carneae. Non infrequens crescit in sylvis dumetisque nostris variis. Septembri et seqq.

616. A. L. acris.

α, *fuligineus*
β, *livido-rubescens*

In *α*, *lac* acerrimum album aëri expositum mox colorem induit pulchelle roseum: at dein exsiccatum sordide flavescit. In *β*, quae haud incommode sejungi posset, *pileus* valde viscosus est. *Lac* item album multo tardius, sed persistentius, rubescit: maculae enim e purpureo violaceae circum vulnera fungi ortae colorem servant. Parcior *α*, in frondosis umbrosis (*Eulenwald; Sohlander Berg*): frequentior *β*, in apriciusculis gramineis alnetorum etc. (*Moholzer Haide* etc.) Sept. Oct.

H. RUSSULAE.

OBS. Insunt huic tribui species malae haud paucae, variis praesertim coloris cujusdam principis in pileo adumbrationibus, aut sapore, aliisve notis variabilibus diversae. Ita v. c. haud ita multum erraverit, qui *Russulas rosaceam*, *emeticam*, *depallentem; R. ochroleucam et foetentem;* et s. p. varietatum loco positas specie conjunxerit. Constantiores sunt characteres praecipue ii, quos pilei inprimisque lamellarum colores generice distincti (albus, luteus, ruber etc.) suppeditant: juxta quos, paucis aliis a formâ, staturâ etc. desumtis in auxilium hinc inde vocatis, specierum numerus minor quidem, sed certior stabiliorque, constitui posse videtur.

a) *Leucocephalae.*

617. A. R. nivea.

Convenit cum *R. fragili* magnitudine, fragilitate, tuberculis marginalibus, sapore acerrimo: distat staturâ curtiore, coloreque toto niveo, si maculas rubellas exceperis paucas sparsas inconstantes, in exemplis aliquot observatas. In gramineis sylvaticis dumosisve, sed parum

frequens (*Moholzer Haide; Königshayner Berge*) Sept. Oct.

618. A. R. lactea.

Pileus saepe prorsus albus: aliâ tamen vice viredine quâdam sordidâ plus minus intensâ afflatus, unde (praesertim cum *lamellae* haud raro etiam furcatae sint) in *R. furcatam* gradatim ita transit, ut limites certi nulli inveniantur. *Sapor* mitis. In sylvis praesertim frondosis haud rara. Aug. Sept.

b) *Erythrocephalae.*

619. A. R. rosacea.

α, rosacea

In exemplis senilibus *pileus* saepe reperitur subdepressus; in nostris ceterum utplurimum insipidus. *Statura* varia; interdum satis ingens, pileo 4—5 unc. lato etc. In sylvis abietinis aliisque hinc inde non infrequens. Medio autumno.

620. A. R. emetica.

Species perquam variabilis quoad magnitudinem colorisque in *pileo* ac *stipite* intensitatem: pervulgata in sylvis praesertim acerosis, quas occupat inde a Julio per totum autumnum.

621. A. R. depallens.

Crescit in pinetis nostris hinc inde (e. g. *Häselachen; Seer, Moholzer, Ödernizer Busch*) locis apprime siccioribus nudis. Augusto et seqq.

622. A. R. fragilis.

A *R. nitidâ*, cui desuper inspecta similis est, affatim discrepat lamellis candidis. *Pileus* margine tenuis, pellucens, substriatus. Gramina amat locorum feraciorum, umbrasque fruticum frondosorum, haud infrequens nobis hinc illinc. Aestate finiente et autumno.

623. A. R. alutacea.

α, mitis

Statura admodum varia: diameter pilei inter 3 uncias spithamamque ludit etc. *Pilei* color mox *R. emeticae*, mox *R. depallentis* disco item expallido. *Stipes* nunc totus albus, nunc rubedine dilutiore profundioreve afflatus. *Sapor* satis gratus. Sylvis praecipue delectatur abietinis umbrosis muscosis, quas passim colit (e. c. *Seer Lehmgruben; Steinbruch; Basalthügel*). Septembri, Octobri.

c) *Xanthocephalae.*

624. A. R. lutea.

Fungus elegans. *Pileus* primo plano-convexus, dein depressus, subumbilicatus, 1 — 2 unc. latus, nunc pallens, nunc laete luteus. Solitaria species est in sylvaticis mixtis hinc inde (*Basalthügel; Edelknabe; Hölle; Moholzer Haide;* etc.) Augusto et seqq.

625. A. R. ochracea.

ββ, unicolor

Totus fungus noster unicolor sordide ochraceus: *stipes* tamen (longiusculus) paullo dilutior. *Pileus* convexus, centro subumbilicatus, margine sulcatus. Rarissima in regionibus nostris videtur species: etenim semel tantum in sylvis acerosis mixtis (versus *Horke*) inventa fuit; medio Septembri.

626. A. R. ochroleuca.

α, laevis

ββ, sulcata

Transitum efficit var. *ββ*, inter *α*, et *R. foetentem* — idque pedetentim adeo, ut de firmis iterum terminis inter utramque speciem desperandum sit. Convenit cum illâ colore, magnitudine, odore vix ullo: cum hâc pileo

depresso, margine tuberculato grosse sulcato. Occurrit utraque var. mixtim in abietinis muscosis haud infrequens (v. g. *Seer Lehmgruben; Schöpswiesen; Moholzer Haide* passim). Exeunte aestate et autumno.

627. A. R. foetens.

Odor aëre praesertim humente fungoque hinc laetius vigente teterrimus. Crescit locis graminosis circa dumos aut in sylvaticis frondosis hinc inde (*Lehmgruben; Edelknabe; Basalthügel; Obstberg;* etc.). Augusto et seqq.

d) *Porphyrocephalae.*

628. A. R. nitida.

α, purpurascens

β, purpureo-fuliginea

Pileus familiae more plus minus depressus. Disci mixtura in *β*, nunc fuliginosa, nunc sordide olivacea. Utraque var. mixta in sylvis abietinis passim invenitur, non infrequens. Sept. Oct.

629. A. R. cynoxantha.

Sub quercubus, ad fruticeta frondosa varia, hinc illinc provenit solitaria (v. c. *am windigen Damm; Edelknaben;* circa *See; Quizdorf*). Augusto, Septembri.

630. A. R. livida.

α, communis

β, angustata

Frequens nascitur *α*, in sylvaticis variis ubique fere: parcior *β*,. Est etiam var. passim obvia inter utramque media, *pileo* biunciali (vix purpurascente), *lamellis* confertis sesquilineam fere latis, basi per venas passim connexis, albis, *stipite* subtriunciali, *sapore* acriusculo. Augusto et seqq.

631. A. R. nauseosa.

Specimina nostra descriptione paullo majora. Color in toto fungo sordidus, a nitore omni remotus. *Pileus* infundibuliformis, disco olivaceo, margine dilute purpurascente: *lamellae* sordide flavae: *stipes* albus. In sylvis acerosis (v. c. *Quizdorfer Busch; Moholzer Haide* etc.) Aug. Sept.

e) *Chlorocephalae.*

632. A. R. furcata.

Sapor in nostris vix ullus. Crescit in sylvaticis variis hinc inde, haud adeo infrequens. Aug. Sept.

633. A. R. virescens.

Fungus noster medius esse videtur inter *Bulliardianum* et *Persoonianum*, cum illo congruens pileo depresso; cum hoc notis reliquis omnibus: vix itaque dignus, qui vel varietatem constituat. Rarior nobis: hactenus nonnisi semel inventus in fruticetis frondosis umbrosis (*am windigen Damm*) ineunte Septembri.

634. A. R. olivascens.

ββ, viridis

Ob *lamellas* pulchre luteas huc relata fuit, etiamsi ab *α*, differat *pileo* viridi fere, parum olivascente, laevi. Parcior item: in sylvaticis mixtis umbrosis (*Duberau*). Primo Septembri.

I. OMPHALIAE.

a) *Carnosae.*

aa) Flavescentes, pallidae, hepaticae etc.

635. A. O. maxima *Wetterav.*

Agar. giganteus *Leyss.* infundibuliformis *Hoffm.* Cf. *Flora Wetterav.* Tom. III. P. II. pag. 329. Fungus ad-

modum memorabilis; omnium, quotquot nos quidem hucusque vidimus, maximus. Totus dilute alutaceo-pallidus, albidus. *Pileus* speciminis majoris exacte sesquipedalis (18 unc. mensurae Dresdensis diametro aequans), pro ratione subtenuis, modice carnosus, subexsuccus (unde per aliquot hebdomades incolumis a nobis asservatus): ceterum late infundibuliformis, in fundo obsolete umbonatus, laevis, nisi quod passim (fortuito, ut videtur) subsquamulosus aut rimulosus sit; margine in nonnullis lobatus, subinvolutus. *Lamellae* confertae, angustae (3 lin. fere latae), subdecurrentes, demum subrufescentes. *Stipes* brevis crassus (2½ unc. latus totidemque altus) firmus solidus subteres, demum fuscescens. Pauca unicâ vice habuimus exempla, inventa in umbrosis dumosis frondosis (*am windigen Damm*) medio Septembri.

636. A. O. involuta.

α, terrestris

β, truncigena

Lamellae in utrâque var. saepe simpliciusculae, ac basi etiam, praesertim in β, haud raro prorsus simpliciter decurrentes. *Stipes* in hâc utplurimum obliquus, ob pileum hinc tantum perfecte evolutum plus minus excentricus, interdum prorsus lateralis. Vulgaris utraque in sylvis acerosis: β, in *Pino* aeque ac *Abiete* epixyla. Praesertim Septembri, Octobri.

637. A. O. gilva.

α, cinnamomea

γγ, alutacea

Maculae in utriusque var. pileo frequenter observantur guttiformes, dilutiores, pallidae; in α, minores, haud adeo crebro obviae, citius evanidae: in γγ, majusculae, fere semper praesentes, persistentiores. Differt prae-

terea γγ, colore toto (nisi quod lamellae nunc in flavo-croceum, nunc in carneum subvergant) alutaceo, situque subsolitario: notis reliquis ambae conveniunt. *Pileus* initio (prout in hâcce familiâ saepe fit) subhemisphaerico-convexus, paullatim deprimitur, demumque fit infundibuliformis, rarius subumbilicatus: carnosus ceterum, compactus, duriusculus, glaber, 2/4 unc. latus, margine plerumque reflexus. *Lamellae* confertae, angustae, longe decurrentes, basi saepe subramosae. *Stipes* firmus, solidus, demum subcavus, 1½/3 unc. longus, 4/6 lin. crassus. In abiegnarum sylvarum umbris neutra rara. Ab Aug. in Nov. usque.

638. A. O. gibba.

α, pallida

ββ, fuliginea

Umbo mox admodum distinctus, majusculus; mox plus minus obliteratus. Color *pilei* in α, pallens, nunc in flavidum, nunc in incarnatum subtendens: at in ββ, (ceteroquin prorsus congruâ) alienissimus, fuligineo-fuscus. Nascitur α, in sylvis umbrosisve variis, locis graminosis, muscosis etc. passim frequens: ββ, aliquoties in abietinis inter muscos (*Häselachen; Basalthügel*) inventa fuit. Utraque Augusto, Septembri: rarior Octobri.

639. A. O. squamulosa.

ββ, rufo-cinnamomea

Color *pilei* in hâc quoque nostrate a descriptione *Persoonianâ* ita abhorret, ut varietatem, licet notae reliquae omnes conveniant, suadere videatur. Ludit nimirum per varios gradus inter rufum ac cinnamomeum, squamulis saturatioribus. Margo pilei in aliis aequalis uniformis, in aliis varie undatus, sublobatus. *Stipes* pileo concolor, firmus. Fungus nobis vernalis, loco hactenus unico

in ruderatis graminosis umbrosis (*Daubs Holzplatz*) quotannis resurgens, gregarius, subcaespitosus. Maio, Junio.

640. A. O. cochleata.

Pilei forma ludit inter subregularem et valde lobato-tortam — color inter expallidum albescentem et opace rufum: *stipes* nunc profunde sulcatus, nunc fere laevis. *Odor* constans, dulcis, aniseus, penetrans, persistens, eminus in sylvis percipiendus, conclavia tota inficiens. Epixyla nascitur in ramis coryleis, populneis, alneis etc. (*Eulenwald; Moholzer Haide* passim) non infrequens. Praesertim Augusto.

641. A. O. bella.

Substantia, forma, habitus, ac praeprimis farina seminalis alba affinitatem fungi pulcherrimi naturalem erga *O. farinaceam* et *amethysteam* produnt. Cl. *Persoon* exempla nonnisi minora minusque perfecta, qualia et in nostris descriptioni ejus exacte respondent, coram habuit: at ubi in sylvarum penetralibus truncos putridissimos madentes incolunt, *pileus* ad 2 — 3 unc. et ultra dilatatur, demum fere planus, saepe nonnisi obsolete umbilicatus, squamulis plerumque quasi fuligine afflatis conspicuus. *Stipes* constanter mediocris, ejusdem prorsus ac in *O. farinaceâ* indolis. *Lamellae* pulvere dein spermatico eleganter conspersae *Primulam Auriculam* L. flavam (*gelbe weissgepuderte Aurikeln*) in memoriam revocant. Minime infrequens locis supra dictis solitaria vel caespitosa truncos incolit *abietinos*, passim et *pineos*, carie paene exesos (v. c. *faule Brücken; hohe Linde; Polsbruch; Moholzer Haide; verlornes Wasser*) Aug. et seqq.

642. A. O. dryophila.

Pileus laevis, rufescens in nostris: *lamellae* pallidae.

Nascitur in pinetis hinc inde, sed parum frequens: semel etiam ad radicem quercûs (*See*) caespitosa reperta fuit. Aestivalis praesertim: Junio.

643. A. O. farinacea.

α, ochreo-rufa

β, rosella

Species est e vulgatissimis: mire ludens staturâ, coloris adumbratione, umbilico squamulisque nunc distinctis, nunc vix ullis etc.: sed *lamellae* diagnosin offerunt facilem et tutam. *Pileus* nonnumquam semipellucens substriatus: *stipes* haud raro subfibrilloso-rimosus. Nusquam fere non occurrit: paene perennis.

bb) Albae.

644. A. O. virginea.

α, communis

ββ, tenuis

Differt var. *ββ*, elegans habitu toto singulisque partibus omnibus multo tenuioribus: *pileo* submembranaceo in centrum usque pellucente striatulo, margine aequaliter et amoene saepe undulato: *stipite* basi gracili, sursum sensim sensimque aliquantum incrassato: *staturâ* procériore. Diligit loca graminosa montosa subumbrosa, dumis frondosis mixta (v. c. *Sohlander*, *Löbauer*, *Königshayner Berge*): *α*, in pratis, versuris etc. passim frequens. Utraque Septembri et apprime sqq.

645. A. O. candicans.

Pileus plerumque exacte umbilicatus, rarius in infundibuli formam transiens, demum sordens. Hab. in sylvis variis passim: (v. c. *Moholzer Haide; Sohlander Berg*). Per totum autumnum.

646. A. O. phyllophila.

Pileus saepe infundibuliformis, biuncialis et ultra. *La-*

mellae congestae, angustae, decurrentes. *Stipes* longitudine inter unc. 1 et 3 varians; basi mox, ubi e foliorum acervis assurgit, curvus, mox rectus. In nemorosis inter frondes arborum variarum deciduas passim satis frequens. Augusto et seqq.

647. A. O. Prunulus.

Fungus valde polymorphus; attamen *lamellis* incarnascentibus et *odore* vere characteristico illico dignoscendus. *Stipes* haud raro plus minus excentricus; imo semel bisve prorsus lateralem invenimus, *pileo* dimidiato. Frequens hinc illinc nascitur in sylvis aliisve locis graminosis umbrosis. Julio et seqq.

648. A. O. tigrina.

α, tigrina

Pileus in nostris infundibuliformis potius quam umbilicatus. Speciei distinctissimae hactenus nonnisi semel exempla aliquot invenimus, et quidem *terrestria* solitaria in prato depresso (ad *Quolsdorf*). Medio Junio.

cc) Nigrescentes.

649. A. O. adusta.

α, communis

γγ, crassa

Succus fungi *ruber*, sanguineus: qui nisi adeo parcus adesset, ad *Lactifluos* referenda foret haecce species. Verum in guttas prae penuriâ non colligitur; inde tamen facile agnoscendus, quod vulnera qualiacunque fungo ubiubi illata rubro paullatim colore (luculenter praesertim in γγ, paullo succulentiore) tingat — qui dein aëri jam expositus, sensim denigratus adustionis speciem illam fungo nostro solemnem offert. Est ceterum γγ, major, ipsâ etiam α, multo firmior crassiorque, *lamellis* instructa crassissimis, latissimis, *valde distantibus:*

quoad *pileum* et *stipitem* convenit cum α,. Utraque frequens, praeamans sylvas frondosas, at in acerosis quoque minime rara. Per totum autumnum.

650. A. O. tarda.

α, *unicolor*

Nimis forsan propinqua sequenti, in nostris quoque substantiâ praesertim firmiore, formositate quâdam ac nigredine dignoscenda. In sylvis variis, etiam ad sepes pagorum umbrosas, hinc inde non infrequens, terrestris. Octobri, Novembri.

651. A. O. expallens.

Lamellae decurrunt. *Stipes* interdum subcompressus. Nascitur in sylvis acerosis ubique fere, nec infrequens, terrestris. Per totum autumnum.

652. A. O. dicolor.

α, *laevis*

ββ, *rimosa*

γγ, *truncigena*

Stipes in α, pruinâ albâ tectus, magis et constantius compressus quam in antecedente, cujus tamen et nos hanc vix nisi varietatem dixerimus — praeter pineta etiam locis graminosis apriciusculis (v. c. *Monplaisir*) passim crescentem Sept. Oct. Ab hâc discrepat ββ, *pileo* paullo saturatiore longitudinaliter rimoso - subpiloso: sed congruit formâ, staturâ, habitu etc. — rarior, aliquoties lecta locis sylvaticis mixtis umbrosis (*Moholzer Haide*) Aug. Sept. Magis etiam recedit ac prorsus fortasse separanda erit γγ, formâ quidem conveniens, sed duplo paene major, epixyla, fascicularis, alba, sed in pileo pilis longis adpressis nigricantibus rimosa, *stipitibus* longis adscendentibus subcompressis laevibus *fistulosis*. Innascitur haec truncis putridis madentibus abietinis (*Moholzer Haide* aliquot locis frequens). Sept. Oct.

653. A. O. Epichysium.

α, communis

β, icmadophila

γγ, leucophylla

δδ, xanthophylla

Conveniunt varr. hae omnes teneritate, *pilei* formâ, colore striisque, situ (exceptâ *β,*) epixylo, paene etiam magnitudine. Sed differunt *α,* et *β,* notis in *Synopsi* indicatis: *γγ,* et *δδ,* staturâ ad *α,* fere accedunt, sed distant *lamellis* discoloribus — *illa* albidis, *haec* lutescentibus pileoque praeterea subsquamuloso. Nascitur *β,* in uliginosis sphagnosis satis frequens Septembri, Octobri: reliquae (*δδ,* rarior) in truncis variis hinc illinc aestate et autumno, in Novembrem usque.

654. A. O. Nigrella.

Pulchella species. *Pileus* in nostris plerumque unicolor, nigricans, nitens. *Stipes* subconcolor, dilutior, glaucescens. *Lamellae* pallidae, demum subcinereae. Amat loca graminosa sicciuscula aprica vel subumbrosa (v. g. *Daubs Holzplatz; Heinrichsruh; Moholzer Haide*) Sept. et seqq.

655. A. O. Serrula.

α, squamulosa

ββ, glabra

Color pulcher, atro - coeruleus fere (atramentosus). Discrepat *ββ,* pileo glabro teneriore semipellucente substriato. Utraque praticola (*Edelknabe; hohe Linde; Horke*) locis siccioribus, sed parum frequens. Sept.

656. A. O. amethystea.

α, amethystea

β, incana

Admodum veremur, ut species praecellenter pulchra ab *O. farinaceâ* sejungi satis certo possit. Criterium enim

tantum non unicum, in colore positum, per mixturas intermedias ita ludit, ut saepenumero, ad utram speciem exemplar inventum amandes, incertissimus haereas: formâ nimirum, habitu, lamellis, pulvere seminali exacte congruunt. Minime infrequens truncigena vel terrestris obvia est var. utraque in sylvarum praesertim frondosarum umbris Aug. et sqq.

b) *Membranaceae.*

657. A. O. Rotula.

α, concolor

ββ, mesophaea

Discrepat var. *ββ*, nostra ab *α*, *pileo* paullo minore albido, centro puncto fusco notato, *lamellis* distantissimis parcis, omnibus integris. Innascitur varietas haecce elegantula notabilis acubus *Pinorum*, inprimis *Abietis*, hinc illinc (*Moholzer Haide* etc.) frequens: *α*, contra, item minime rara, praeamat folia, stipulas, aliasve quisquilias locis frondosis umbrosis nemorum, sepium subpaganarum etc. dejectas. Utraque aeque ac sequens aëre sicco valde corrugata et imminuta, humido mox refecta, fere perennis.

658. A. O. androsacea.

Nonnisi leviter, nec adeo profunde ac praecedens, umbilicata. Vulgatissima in sylvis abietinis. Perennis.

659. A. O. epiphylla.

α, vulgaris

γ, rugata

Var. *γ*, subtus *rugis* genuinis vagis parcis ramosis instructa, *Merulio* utique proxima est; nec tamen ullo modo ab *α*, specie semoveri potest. *Pileo* ceterum gaudet planissimo, disciformi, nonnumquam margine eleganter et aequaliter lobato. *Stipes* in *α*, basi niger,

sursum per colorem fuscum aut atrorubentem in candidum abire solet. Copiose (praesertim *α*,) increscit foliis, petiolis, stipitibus etc. dejectis, locis umbrosis opacis frondosis (*Moholzer Haide* etc.). Autumno apprime tardo: Oct. Nov. Dec.

660. A. O. Campanella.

Pileus saturate ochreus, ferrugineus, margine praesertim striatus. *Stipes* satis firmus, modice tenuis. Frequens in sylvis acerosis, in greges ingentes saepe effusa, truncos pineos abiegnosve putrescentes totos quantos tegit. Maio, Junio; sed praesertim Sept. Oct.

Tab. IX. f. 6. 661. A. O. tricolor NOBIS.

A. O. membranacea parva, pileo laevi e flavo subochraceo, lamellis distantibus subramosis basi latissimâ decurrentibus aurantio-roseis, stipite breviusculo solido sursum incrassato.

α, tricolor

β, bicolor

Differt *α*, *pileo* nonnisi levius umbilicato planiusculo et praesertim *stipite* sursum pileo concolore, sed deorsum villuloso-pulverulento ex olivaceo-nigricante. In *β*, contra *pileus* infundibuliformis est vel saltim profunde umbilicatus, et *stipes* totus laevis pileoque concolor. Reliquae notae utrique communes. *Substantia* tenaciuscula, membranaceo-subcoriacea, non fragilis. *Pileus* 3—4 lin. latus, parum striatus, e flavo dilute ochreus, aëre sicciore vel aetate provectâ exalbidus. *Lamellae* triquetrae, versus stipitem latissimae, ejusdem fere ac in *O. ericetorum* formae sitûsque: colore aurantiae, sed pruinâ amoene roseâ demum nonnunquam evanescente obtectae. *Stipes* utplurimum strictus, solidus, satis firmus, ¾ (vix 1) unc. longus. Provenit *α*, aestivalis locis graminosis subdepressis fertilibus subumbrosis (*Jacobs-*

brunn; Diehse;) Jun. Jul. Aug.: β, autumnalis in pascuis, arvis etc. apricis (*Obstberg; Arnsdorf;* etc.) Octobri.

662. A. O. Fibula.

γγ, *media*

Mediam esse var. nostram inter α, et β, sequens evincet descriptio. *Pileus* 2—3 lin. latus, initio convexus, dein umbilicatus, submembranaceus, margine striatus, plerumque ochraceo-fulvus, attamen quandoque etiam totus griseus, aliâ vice pallidus. *Lamellae* distantes, arcuatae, decurrentes, candidae. *Stipes* item albus, aut subpallescens, longus, biuncialis fere, subsolidus, rectus, strictus, basi tenuis, sursum subincrassatus. Copiose innascitur fungillus noster elegantulus epigaeus solo praesertim argillaceo subdeclivi humidiusculo inter Polytricha, in sylvis, secus vias etc. Augusto et seqq.

663. A. O. ericetorum.

α, *flavo-grisella*

γγ, *nigro-grisella*

Var. α, tota unicolor, pellucens, in centrum usque expresse striata, pileo majore, 4—6 lin. utplurimum lato: hûc icon *fl. dan.* tab. 1015 pertinere nobis videtur. In γγ, *lamellae* sunt dilutiores pileo, cinereae fere; *pileus* porro minus distincte et praesertim margine striatus, minor, 3—4 lin. fere latus: hûc figurae *Persoonianae Obss. mycol.* I. tab. IV. fig. 12 propius accedunt. *Stipite* ceterum atque *lamellis* congruit utraque: nisi quod hae in α, vel ipsius pilei ratione habitâ paullo ampliores videantur. Frequentes occurrunt terrestres locis sylvaticis vel apricis ericosis, ubique fere: sed α, loca praefert humidiora, haud raro etiam pratensia; γγ, sicciora glareosa. Per totum autumnum.

K. PLEUROPODES.

a) *Carnosi.*

aa) Integri.

664. A. P. atro-tomentosus.

α, obliquus

ββ, omphalodes

Tomentum *stipitis* molle, velutinum, pulcherrime atropurpureum. Var. *ββ*, *pileo* distincta infundibuliformi ac *stipite* exacte centrali perpendiculari, exemplum praebet e luculentissimis, affinitate quam arctâ inter se junctae sint *Omphaliarum Pleuropodum*que familiae. In sylvis praesertim acerosis ad truncos *abietinos pineosve* crescit ubique fere perfrequens *α*, rarior (*Quizdorfer Busch* etc.) *ββ*,. Augusto et seqq.

665. A. P. ulmarius.

Pileus in nostris unicolor pallescente-alutaceus, 5—6-uncialis, carnosus, firmus, planiusculus, subsemicircularis, regularis. *Lamellae* ¼ unc. latae, distinctae, emarginato-adnexae, albae. *Stipes* concolor, adscendens, excentricus, compactus, solidus, subtomentosus, unc. 1 crassus, 2 fere longus. Fungi rari caespitem aliquot speciminum semel reperimus in caudice *Fagi excelsae* (semivivae, ut videbatur) crescentem (*Eulenwald*). Medio Octobri.

666. A. P. tessellatus.

ββ, dentatus

Lamellae in nostro margine tenuissimae, unde constanter inaequaliter dentato-lacerae inveniuntur: cujus characteris in oculos facillime incurrentis quum ad *α*, mentio nulla fiat, vel inde fungum nostratem varietatis loco introducendum censuimus. *Pileus* 2—4 unc. latus, convexus, rarius subdepressus, integer aut subdimidia-

tus, subobliquus, pallidus aut dilute ochraceus, squamis majusculis laevibus arcte appressis ferrugineo - spadiceis tessellatus. *Lamellae* distinctae, admodum latae (in majoribus semunciam fere), decurrentes, albae, secus marginem papyraceo - pellucidum saepe lutescentes. *Stipes* solidus, firmus, brevis (vix unciam longus), crassus, sursum subsulcatus, pallidus, obsolete plerumque ferrugineo - reticulatus, curvus. *Substantia* totius fungi carnosa, compacta, dura, satis tenax, ut subcoriaceam haud inepte dixeris. Caespitosus crebro innascitur truncis lignisque fabrefactis (asseribus, sepibus, ponticulis etc.) constanter *pineis*, in sylvis et hortis. A Junio in Septembris finem usque.

667. A. P. torulosus.

Substantia eadem fere ac in praecedente. *Pilei* color variabilis, perquam difficilis descriptu, nunc e rubello fulvescens, nunc ex alutaceo aut subcervino purpurascens. *Lamellae* subconcolores, plus minus dilutiores, confertae, basi nonnumquam crispatae, decurrentes. *Stipitis* (interdum subcentralis) tomentum griseum, colore saepe violascente quasi superflatum. Caespites hujus hinc inde (*Heinrichsruh; Duberau; verlornes Wasser*) in nemorosis obvii truncos vetustos semiputridos praesertim *betulinos* incolunt, praecoces, vigentes Junio et seqq. usque in autumnum.

668. A. P. dentatus.

Summam cum *O. cochleatâ* affinitatem produnt habitus, substantia, odor (in aliis quidem vix ullus, sed in aliis suavis aniseus) etc. *Pileus* pallidus, regularis, nec contortus, nec lobatus. *Lamellarum* margo nunc dentatus, nunc fere integer. *Stipes* plerumque marginalis, saturate rufus, modo sulcatus, modo laeviusculus. In sylvarum penetralibus opacis truncos ramosve deciduos colit *Abie-*

tis, sed et *Capreae*, *Coryli* etc. (*Moholzer Haide* passim; *Sohlander Berg*). Vernalis occurrit Maio, Junio; et autumnalis Septembri, Octobri.

bb) Dimidiati.

669. A. P. glandulosus.

ββ, horizontalis

Pileus in var. nostrâ 5—6uncialis, horizontalis, molliusculus, dilute badius. Affinis omnino sequenti, a quâ tamen magnitudine glandulisque majusculis latera marginesque *lamellarum* passim obsidentibus concoloribus distingui potest. Ad truncos duos quotannis redux; alterum *Sambuci racemosae* (*Moholzer Haide*), alterum *Juglandis regiae* (*Obstberg*). Octobri, Novembri.

670. A. P. ostreatus.

α, fuscescens

β, atro - albus

Crescit *α*, in truncis caesis quercinis, tiliaceis etc. hinc inde Oct. Nov. *β*, *pilei* disco saepe depresso ac paullo dilutiore, diametro saepe ingente, colore nunc e violaceo nunc e castaneo nigro, *stipite* valde crasso curto albo, halitu nigro afflato — terrestris nobis, fascicularis, coriaria (*Lohgruben* abunde), passim et hortensis. Sept. et seqq.

671. A. P. dryinus.

α, lateralis

ββ, subcentralis

Squamulae subobsoletae, quoad colorem in nostris iconi *Schaefferianae* consonae, dilute rufescentes. Discrepat *ββ*, nostra *stipite* longiusculo subcentrali obliquò adscendente subperpendiculari, *lamellis*que, quae in *α*, *pileo* concolores sunt albidae, lutescentibus. Inventa *α*, aliquoties in truncis *quercinis* (*Jänkendorf*) et *carpineis*

(*Gemeingarten*) Octobri: ββ, hactenus nonnisi semel in cavitate caudicis *Pyri* sylvestris (*Brüderwiese*) Novembri.

672. A. P. Lepiota NOBIS.

A. P. caespitosus, pileo lato convexo squamoso dilute fuligineo, squamis majusculis pilosis adpressis nigricantibus, lamellis distinctis candidis, stipitibus subverticalibus annulatis, infra annulum nigrescente-squamulosis.

Pileus convexus, semiorbicularis, albido-fuliginosus, 4 — 5 unc. latus, squamis distinctis obscurioribus obsitus. *Lamellae* subdistantes, latae. *Stipes* brevis, crassus, marginalis, fere perpendicularis, supra annulum laevis candidus, infra pileo concolor piloso-squamulosus. *Annulus* ipse spectabilis, fuligineus. Caespitem unicum arcte stipatum hucusque invenire licuit speciei notabilis, disco trunci *abietini* serrâ truncati innatum (*faule Brücken*). Medio Septembri.

673. A. P. salignus.

β, *fuligineus*

Primo obtutu *P. ostreatum* mentitur: a quo tamen praeter reliquas notas vel ipso stipitis pileique baseos tomento, saepe plus minus strigoso, affatim differt. Truncos praeamat *salicinos:* attamen in aliis quoque, *betulinis*, *alneis* — hinc illinc (*Diehsa; Rengersdorf; Cunnersdorf; Arnsdorfer Berge*) haud raro occurrit. Octobri, Novembri.

674. A. P. serotinus.

Pulchra species. *Pileus* colore variat viridi, olivaceo. fuscescente: nonnumquam rubelli quid habet admixtum. — Legimus in sylvaticis mixtis (*Moholzer Haide* aliquot locis) ramis dejectis *betulinis* lignoque *alneo* caeso increscentem. Medio Novembri.

675. A. P. spathulatus.

Statura variabilis, icone *Persoonianâ* in nostris plerum-

que aliquanto minor. Iteratis vicibus reperimus fungum distinctissimum, ima sylvarum umbrosissimarum penetralia incolentem, sed constanter ad truncos *abietinos* vetustissimos putredine tantum non dissolutos *epixylum*. Primo Octobri.

676. A. P. planus.

ββ, violaceo - ruber

Discrepat var. nostra praesertim colore, formâ exacte semiorbiculari, lamellisque satis distinctis. *Pileus* aetate juniore amoene convexus, pulchre violaceus: dein prorsus applanatur ruberque (demum dilutior) evadit: subcarnosus ceterum, margine striatulus, semipellucens, fragilis, humens, ½ — ¾ unc. latus. *Lamellae* pileo subconcolores, dilutiores. *Stipes* perbrevis, interdum vix ullus: tomentum tamen niveum circa pilei basin constanter praesens. Num potius species distincta? parum abesse videtur. Solitariam imbricatamque aliquoties habuimus in ligno *fagineo* vetusto (*Eulenwald*). Maio, Junio, Julio: rursum Octobri.

677. A. P. porrigens.

α, dimidiatus

β, infundibuliformis

Pilei arcte imbricati, interdum lobati, aliâ vice undulato - repandi: a limacibus aliisque animalculis misere vexati cito destruuntur. Utramque var. (de *β*, cf. *Obss. myc.* I. p. 54. 55.) mixtam alimus loco unico (*Schöpswiesen*) ad *Abietum* truncos radicesque coelo pluvio frequentem. Septembri.

678. A. P. mollis.

Pulvis seminalis carneo - rufus, ex hymenio speciminum altiore loco affixorum delapsus, magnam saepe *pilei* partem tegit. Frequens incolit haec species truncos putre-

scentes, inprimis *pineos.* Augusto, Septembri, primo Octobri.

679. A. P. **stypticus.**

Epidermis *pilei* in squamulas furfuraceas demum solvi consuevit. Vulgatissimus est fungus, ad caudices arborum variarum frondosarum ubique fere greges suos effundens. Autumno, hyeme, vere.

680. A. P. **mitis.**

Pileus candorem utplurimum conservat, nec nisi rarius fuligine quâdam dilutâ in vetustioribus afflatus observatur. *Lamellae* simplices, albae, demum pallent: in icone *Obss. myc.* I. tab. 5. fig. 3. justo multo saturatius pictas nostrum saltem exemplar exhibet. *Stipitis* forma ac dilatatio prorsus qualis in praecedente. *Sapor* persistenter mitis. Ramos deciduos emortuos *Pinorum* — *sylvestris*, *Abietis*, *piceae* — passim (*faule Brücken; Moholzer Haide; Eulenwald*) occupat, haud infrequens. Ab Augusto in Novembrem.

681. A. P. **nidulans.**

Tomentum *pilei* mollissimum, ad tactum velutinum. Praefert species elegans truncos *pineos* et *abietinos* (*Lohgruben; Quizdorf; Seer Steinbruch; Eulenwald*): attamen nec alios prorsus respuit (inventa v. c. in *Sorbo* — *Trebusser Allee*). Parcior verna, Aprili, Maio: frequentior autumnalis, Septembri, Octobri.

682. A. P. **variabilis.**

α, vulgaris

Pileus tomento candido laxo subdetersili indutus, demum laevis pallens; *substantiâ* humidâ molli. *Lamellae* ex albo tandem griseae, pulvere spermatico rubiginoso-rufo conspersae. Pervulgatus locis sylvaticis udis est fungillus, ubi in ramis dejectis, stipitibus, muscis, aliisve quisquiliis parasitatur, rarius solo nudo umbroso ipsi

innatus. Maio, Junio: sed longe abundantior Septembri et seqq.

683. A. P. epigaeus.

α, rufo-canus
β, tephromelas
γ, glaucus
δ, tremulus

Varr. hae omnes quatuor *terrestres* nobis hinc illinc (*Monplaisir; Seer und Quizdorfer Busch; Moholzer Haide; Hölle*) obviae: *β*, frequentior, nec raro magna, semuncialis et ultra: reliquae parciores. Omnes autumnales: inde ab Augusto in tardum usque Novembrem.

684. A. P. striatulus.

α, glabellus
ββ, hirsutulus

Var. *α*, exsiccata ita corrugata diminuitur, ut oculos facillime fugiat inermes; diu jam asservabilis, tota denigrata. At irrigata colorem illico resumit, formam, glabritiem, strias, pelluciditatem. Truncos lignaque putrida sibi eligit haec *abietina* et praesertim *pinea*, quae in agmina saepe densa longe lateque effusa occupat, in pinetis nostratibus passim (v. c. *Moholzer Ziegelscheune und Haide; Schöpswiesen*) neutiquam rara: Julio et seqq. — Cum hâc formâ ac minutie (2—3 rarius 4 linearum) convenit *ββ*,: sed *substantiâ* est longe firmiore, *pileum*que habet vix striatum, tomentulo tenui cinerascente vestitum, basi in perfectioribus hirsutie strigosâ atrâ conspicuum; *lamellas* porro albido-pruinatas. Quam si quis specie sejungere maluerit, parum obstabimus. Ad hanc forte *Agar. applicatus Batsch.* potius quam ad praecedentis var. *β*, trahendus erit. Incolere videtur arborum frondosarum caudices ramosque mortuos dejectos varios: hucusque inventa in *Juglande regiâ* (*Obst-*

berg) inque *Salice Capreâ* (*Seer Ziegelscheune*). Diversis anni temporibus: Augusto, Octobrî, Novembri, Martio.

b) *Coriacei.*

685. A. P. abietinus.

Pileus initio tomento umbrino obductus: dein glaber nigricans. Ligni *pinei* et praesertim *abiegni* cupidus: quandoque sylvaticus et truncigenus (*Moholzer Haide; Rengersdorf*), sed saepius hortensis domesticusve ad asseres, palos etc. Aestate et autumno.

686. A. P. coriaceus.

Desuper *Boletum versicolorem* saepe mentitur: nonne cum eo prorsus conjungendus *Agar. versicolor Planeri?* Ad truncos caesos *betulinos* aliosque frequens autumno.

687. A. P. sepiarius.

α, vulgaris

Pervulgatus e rimis promergit ligni *pinei* putrescentis, inprimis fabrefacti. Per totum fere annum.

41. MERULIUS.

A. CANTHARELLI.

a) *Integri.*

688. M. Cantharellus.

Frequens in sylvis praesertim acerosis, locis subhumentibus: usui culinari inservit (*gelb Männel, gelb Hünel* nostratibus). Per totum autumnum.

689. M. aurantiacus.

Velutina tomenti mollities colorque *Ag. Pleuropodis nidulantis. Plicae* rectae, supradichotomae, initio subtumidulae *Merulium* indicant: at dein sensim attenuatae

lamelliformes evadunt. *Stipes* centralis aut subexcentricus, longitudine atque crassitie varians. *Pileus* primo convexus, demum depressus, subinfundibuliformis. Copiose provenit autumno humido in sylvis praesertim acerosis, etiam siccioribus, hinc inde: utplurimum terrestris, semel tamen bisve etiam truncigenus inventus. Aug. Sept. et inprimis Oct. Nov.

690. M. lutescens.

Venae huic sunt genuinae, tumidae, vage decurrentes, flexuosae, confertae: sequenti contra *plicae* crassiusculae quidem, sed rectae, distantes. Et hic quidem (assumtâ *staturâ* huic ex omni capite majore, *pileo* 2 — 3-unciali etc.) verus est inter utrumque ac satis superque sufficiens character diagnosticus: reliquae nimirum notae ad unam omnes ambobus plus minus communes ac inde ambiguae sunt parumque distinctivae. Amat hic loca sylvarum variarum umbrosa humida, imo uliginosa, quae vulgaris incolit exeunte aestate et autumno.

691. M. tubiformis.

Frequens haec quoque species in sylvis variis umbrosis subhumentibus. Per totum autumnum.

692. M. fuligineus.

γγ, *concolor*

Totus concolor cinereo-fuliginosus, *pileo* saturatiore nigricante. Dubium omnino, an hûc pertineat? habitu enim, formâ, et praesertim venis propius accedit ad *M. lutescentem:* forsan vel ejus varietas insignior, vel sui juris species. Parcior occurrit in nemorosis humidis (*Seer Schloſsgarten; Schöpswiesen*) Aug. Sept.

693. M. cinereus.

Plicae manifestae, rectiusculae, distantes, pulchre cinereae: *statura* in nostris sequente paullo minor. Rarissimus nobis fungus hucusque semel lectus in sylvaticis

mixtis apriciusculis elatis (*vor den faulen Brücken*). Exeunte Octobri.

694. M. cornucopioides.

Nec *plicae* adsunt ullae, nec *venae;* sed merae *rugae* obsoletae, inaequales, vagae. In sylvis frondosis, saepe ingens (*Obstberg* frequens; *Basalthügel* parcior). Autumno tardiore: Octobri et seqq.

695. M. umbonatus.

Pileus initio subconvexus, demum infundibuliformis, *umbone* semper persistente: saturate coeruleo - cinereus, nigricans. *Stipes* dilutior, solidus, longiusculus. *Plicarum* indoles, situs, forma, dichotomia, historia — eadem fere, quae in *M. aurantiaco. Substantia* subsucculenta: vulnera fungo illata tandem rubescunt aut purpurascunt. Margines pinetorum graminoso - muscosos udos, imo sphagnosos, (*Moholz; Quizdorf; Öderniz; Horke;*) praeamat: haud infrequens Oct. Nov.

b) *Dimidiati.*

696. M. muscigenus.

Specimina nostra, quae parca semel legimus, parva erant, diametri quadrilinearis fere. *Pileus* pallide fuscus, dimidiatus, subzonatus. *Venae* tumidulae, ramosae. *Stipes* lateralis, brevis, basi albo - tomentosus. In *Barbulâ rurali Hedw.* tecto stramineo innatâ (*Rengersdorf*), coelo madente. Medio Novembri.

697. M. bryophilus.

Habitus *Ag.* fere *Pleuropodis variabilis:* vidimus etiam exempla juniora alia quidem teretia peziziformia, at alia quoque *stipite* centrali quodam instructa. Sed affatim tamen differt *lamellis* praesertim pliciformibus angustis distantibus apice tri - imo quinqueramosis albis *non* decolorantibus. Unicâ vice invenimus fungillum rarum, et

quidem cornû bovino! vetustiori muscoso, locis humidis dejecto (*Allee gegen Heinrichsruh*), innatum. Postimo Octobri.

698. M. crispus.

Latitudo saepe ½ — ¾ unc. *Plicae* cum *pilei* margine albae, tantillum glaucescentes vel subvirescentes. Frequens in sylvis frondosis umbrosis udis, ramis praesertim dejectis *betulinis*, *alneis*, *coryleis* etc. adhaerens. Inprimis Octobri, Novembri.

699. M. tremellosus.

Saepe resupinatus persistit. *Porium* praesertim aetate juniore sese simulat. *Pileus* sordide, saepius cum rubore, albus; margine plus minus distincte ciliatus. *Statura* et *forma* admodum variabilis. Copiose occurrit in truncis, ac praesertim lignis humi jacentibus, variis putridis; locis sylvaticis humentibus paludosis. Autumnalis: Septembri et seqq.

B. SERPULAE.

700. M. destruens.

α, domesticus

ββ, muscigenus

Var. *ββ*, maxime quidem memorabilis, suborbicularis, parva (4 — 6 lin. lata), dimidiata *nec* resupinata, *pileo hymenii*que margine sordide albo: attamen *plicarum* quoad structuram coloremque conformitas speciei sejunctionem vix admittit. — Provenit *α*, locis suis saepe nimia, perennis: *ββ*, frequens loco unico humente (*Monplaisir*) in *Marchantiâ polymorphâ* parasitica inventa versus medium Octobrem.

701. M. vastator.

Color pulcherrimus, vivide aureus. *Tubercula* non semper adsunt. *Foetor* fungi aquâ refecti nunc pessimus,

nunc vix ullus. Non domesticus tantum, verum et sylvaticus hinc inde (*Monplaisir; Moholzer Haide*), lignorum *Pini* et *Abietis* praeamans. Aestate et autumno.

702. M. serpens.

Hymenium rubescit, colore fere *M. tremellosi* aut paullo dilutiore: primo laeviusculum dein in *plicas* crispas passim subporiformes sensim corrugatur. *Margo* subterioraque albida, vix tomentosa. *Substantia* coriaceo-membranacea. Innascitur ramis *Pini*, *Abietis* — at et *Capreae*, *Coryli* etc. (*Thiemendorf; Moholzer Haide* etc.). Vere et autumno.

C. GOMPHI.

703. M. clavatus.

α, violaceus (perfectus)

β, spadiceus (senilis)

In abiegnis muscosis (*Häselachen; Küchenwiese; Basalthügel; Haide; Königshayner Berge*) aëre pluvio frequens. Augusto, Septembri.

FAMILIA II.

BOLETOIDEI.

---

42. DAEDALEA.

704. D. quercina.

α, subflexilis

β, dura

Crescit ad truncos constanter quercinos var. utraque hinc inde, haud infrequens. Persistens, perennis.

705. D. gibbosa.

a, gibbosa

Variat *pileo* mox crassiore valde gibboso, mox tenuiore et magis aequali. Hab. ad caudices vetustos semicariosos *betulinos*, *salicinos* — sed haud adeo frequens (*Eulenwald; Ullersdorf;*). Aug. Sept.

Tab. XI. f. 2. 706. D. rubescens NOBIS.

D. subcarnoso-suberosa, pileo laevi aequali hemisphaerico subtenui zonato e pallido dein fulvo-rubescente, sinulis subconcoloribus angustis rectis passim subporiformibus, primo albido-pruinatis.

An ad *D. angustatam Sowerby* justo propius accedit? vix tamen putaverimus. *Pileus* exacte plerumque semicircularis, diametro in perfectioribus 2—3, radio 1—1½ uncias aequans, centro 4/6 lin. crassus, margine tenuis; ceterum vel junior vix tomentosus, adultus laevis distincte zonatus, nonnumquam veluti subradiato-striatus. *Sinus* praesertim circa centrum subporiformes versus marginem utplurimum elongantur, prorsus contrà ac in specie praecedente. Totus initio fungus, et praecipue quidem subtus, pruinâ albidâ detersili ac sponte demum evanidâ obductus: quâ ad tactum illico ablatâ color in conspectum venit in recentibus elegans e rosello rubescens vel subpurpurascens, dein opacior. Pilei color in rufum nonnumquam vergit. Crescit ad truncos ramosve emortuos *Salicis Capreae* etc. in sylvis opacis umbrosis (v. c. *Moholzer Haide* passim). Autumno.

43. BOLETUS.

A. SUILLI.

707. B. S. annulatus.

Desuper jam livore suo subfuligineo et virgaturâ agno-

scendus. *Caro* flavida. *Pori* subdecurrentes. *Annulus* nonnunquam obliteratus. Vulgaris in sylvis, gramineis subumbrosis, juxta vias etc. Septembri, Octobri.

708. B. S. aurantius.

γ, rufus

A sequente, quocum *stipite* convenit, distat praesertim staturâ *pilei*que colore. In betuletis, sylvaticis mixtis feracioribus, hinc illinc non infrequens. Praecedenti coaevus.

709. B. S. scaber.

Pileus opacior dilutiorve, nunc laevis, nunc rugulosus, aëre sicco saepe rimoso-tessellatus. *Tubi* longi, unciales et ultra. Vulgaris ad dumeta, in ambulacris frondosis, secus vias sylvaticas etc. Augusto, Septembri.

710. B. S. circinans.

α, vulgatus

Pororum structura peculiaris: majores quasi adsunt acuti, in minores (subquaternos) divisi. *Pileus* aëre sicco glaber, rutili quid saepe admixtum habens. Puncta nigricantia *stipitis* non semper praesentia. Vulgatissimus in sylvis acerosis, circinans. Per totum autumnum.

711. B. S. subtomentosus.

α, gilvus

γ, cupreus

δ, rubiginosus

De varr. cf. *Obss. mycoll.* II. pag. 10, quae omnes *pororum* magnitudine ac indole totâ (charactere in genere Boletorum universo admodum praecellente, etsi descriptu saepe difficillimo) ita conveniunt, ut facile inde a reliquis speciebus semotae inter sese jungantur. Var. *γ*, pileo cinnabarino insignis, rarissima nobis, in nemore frondoso umbroso (*Grobniz*) semel inventa primo Septembri; nec *α, δ*, (sparsim in sylvaticis obviae) adeo

frequentes in regionibus nostris, quam alibi, esse videntur; δ, pileo plerumque *aeneo* occurrit. Aestate exeunte et autumno.

712. B. S. piperatus.

Hab. species distinctissima in sylvis acerosis variis ubique, sparsa, rarius gregaria. Augusto et seqq.

713. B. S. reticulatus.

ββ, minor

Species forsitan distincta: attamen quum *Schaefferi*, quam de *B.* suo *reticulato* dat, descriptio fungo nostro praesertim quoad *tubos porosque* non male adaequata sit, varietatem quam speciem temere proponere maluimus. *Pileus* pulvinatus, 3—4 unc. utplurimum latus, sordide flavus, squamulis obscurioribus subnigricantibus adpressis aequaliter dispositis, *reticuli* veluti speciem praebentibus, constantissime obsitus. *Pori* mediocres, acutiusculi, inaequales: his inspectis, fungus a reliquis omnibus facile tutoque dignoscitur. *Stipes* mediocris, cylindricus, parum crassus, pileo concolor, intus dilutior. *Caro* nunc immutabilis, nunc ad fracturam coerulescens. Vulgatissimus in pinetis. Per totum autumnum.

714. B. S. felleus.

Pileus in nostris e gilvo dilute fuligineus: *stipes* concolor, nunc distinctius, nunc obsoletius reticulatus. *Caro* laxa, spongiosa, molliuscula (id sibi voluisse videtur b. *Bulliard*, dum *tenuem* dixit), alba, sed ad rupturam illico incarnascens; gustata primo subdulcis, at mox (et saepe quidem intense) amara. *Tubi* carnei. *Pulvis* seminalis copiosus, e roseo ruber. Praecox crescit in sylvaticis acerosis (*Quizdorf; Moholzer Haide* passim; *Eulenwald*) solitaria. Julio, Augusto, primo Septembri.

715. B. S. edulis.

α, communis

Usitatissimus est inter edules nostrates: *Herrenpilz*, *Eichpilz*. Variat *staturâ pilei*que colore modo vaccino (*carne* simul sub ipsâ cuticulâ tantillum fuscescente), modo cinereo-subfuliginco. Nascitur in betuletis, pinetis etc. ubique frequens. Septembri, Octobri.

716. B. S. luridus.

Ingens nonnumquam, 5—6 uncias latus. Totus fungus ubicunque infractus succum illico laete aeruginosum edit, digitos inquinantem. Provenit hinc inde in sylvarum graminosis, sub quercubus etc. (*Edelknabe; Moholzer Haide*) sed parum frequens. Aestate, autumno.

717. B. S. rubeolarius.

α, miniatus

Stipes rivulosus, apice nonnisi obsoletissime reticulatus. Discrepat ab antecedente *pileo* multo minore subtomentoso pure olivaceo ac *stipite* curto valde crasso vix reticulato. Unde nos quoque, *Synopseos* vestigia presse secuti, hunc ab illo separavimus: haesitabundi tamen ob summam *pororum* conformitatem, anne cl. *Schraderi* utrumque fungum conjungentis sententia naturae veritati sit propior? Hab. locis consimilibus ac antecessor (*hohe Linde; Polsbruch; Moholzer Haide* passim): item infrequens. Aug. et seqq.

B. BOLETI.

a) *Mesopodes.*

718. B. leucomelas.

Anne fungus noster cum *Persooniano* idem prorsus sit, anne ejus varietas? descriptio nimis succincta, ne satis certo dijudicemus, impedit. *Pileus* triuncialis fere, semunciam circiter crassus, carnosus, compactus, regularis, convexo-planiusculus, margine subinvolutus, fuligineo-

nigricans, disco nonnumquam in sordide rufo-fuscum vergens. *Tubi* brevissimi. *Pori* aequales, parvi, albi, dein colore cinerascente afflati. *Stipes* centralis teres firmus curtus crassus: ½ — 1 unc. longus, ½ crassus: pileo concolor. *Caro* firma duriuscula a vermibus valde appetita vix umquam incolumis offenditur. In sylvis acerosis terrestris, solitaria, non infrequens hinc illinc (*Polsbruch; Basalthügel; Moholzer Haide; Tränke*) Aug. et seqq.

719. B. albidus.

α, communis

Pileus nunc laevis, nunc (coelo praesertim sereno) squamoso-tessellatus, interdum ex albido dilutissime citrinus; demum subrufescens, diversimode difformis. Ita et *stipes* situ formâque variabilis, saepe excentricus, quandoque prorsus lateralis. Crescit in sylvaticis acerosis mixtisve, locis sicciusculis (*Duberau; Seer Busch; Moholzer Haide; Hölle;* etc.), autumno humido frequens, praecedentibus coaetaneus.

720. B. infundibuliformis.

β, melanopus

Cf. *Icon. pict.* I. tab. IV. fig. 2. *Pileus* in nostris (per loci angustias) difformis, subinfundibuliformis: *stipes* tenuiusculus. Rarissima nobis species, semel inventa in umbrosis suffocatis inter ligna caesa (*Högers Holzplatz*) Octobri.

721. B. brumalis.

α, vernus

β, fasciculatus

Pileus in *α*, saepe dilute cervinus. *Stipes* tenuiusculus, longitudine varians, teres. Frequens occurrit var. utraque in lignis ramisque variis, locis sylvaticis umbrosis. Autumno, hyeme, vere.

722. B. perennis.

Pileus disco saepe albido-cinereus, margine subtusque cinnamomeus: regularissime concentrice zonatus. In sylvis, secus vias, passim copiose. Autumno: vix nisi reliquiae ejus putres amplius reperiuntur vere.

723. B. numularius.

Stipes deorsum abrupte nigerrimus, veluti semiocreatus, saepe valde excentricus. *Pileus* exacte numiformis. Truncos ramosque arborum apprime frondosarum, *Coryli*, *Alni* etc. passim haud infrequens (*Schöpswiesen; Moholzer Haide*) incolit: tantum non perennis.

724. B. sistotremoides NOBIS.

B. subdimidiatus substipitatus spongioso-suberosus tomentoso-substrigosus, pileo disco subzonato ferrugineo-spadiceo, margine subtusque sulphureo-virescente, poris magnis difformibus laceris.

Statura ingens sed curta. *Pileus* nonnumquam pedalis et ultra, saepe integer, infundibuliformis, regularis, mesopus; attamen propter situm arcte-caespitosum, exemplis plerumque pluribus imbricatis, haud raro etiam plus minus dimidiatus et pleuropus. *Pori* inaequales, nonnulli subflexuosi, demum pruinâ (?) aetatis vegetae sulphureâ evanescente toti jam pileo concolores, simulque valde laceri, prorsus tum sistotremoidei. Decurrunt in *stipitem* admodum crassum brevemque ferrugineum, interdum vix ullum. Tomentum pilei primo molliusculum, dein substrigosum. *Substantia* item ferruginea, sicca, in fungo recente laxiuscula mollis fomentaria; deinde indurata per totam hyemem et ultra sub dio persistit. Nascitur species notabilis in sylvis praesertim abiegnis muscosis umbrosis sparsim, neutiquam rara (v. g. *Moholzer Haide; Eulenwald; Löbauer Berg*). Viget Augusto et seqq. (Ad radices truncorum).

b) *Pleuropodes.*

725. B. confluens NOBIS.

B. ramosus terrestris, pileis dimidiatis imbricatis semicircinantibus versus centrum margine connatis laevibus e carneo rufescentibus, poris parvis subrotundis albis decurrentibus.

E basi communi crassâ brevi in semiorbem fere prodeunt *stipites* 5 — 12, obliqui, subhorizontales, breves, undique albo-porosi, mox in *pileos* centro subdepresso convexos imbricatos lobatos basi connatos varios, interdum subundulato-repandos, dilatati. Sunt hi laeves, dein saepe plus minus tessellato-rimosi, coloris dilutioris profundiorisve, ceterum satis constantis, in centro paullo obscurioris. *Pori* breves, lineam 1 fere longi, parvuli, satis regulares, suborbiculares, ad latera pileorum stipitumque sublaceri, albi, demum subpallescentes. *Substantia* illis concolor, satis crassa, parum succulenta, carnoso-fibrosa, eadem fere, quae in fungo subsequente: qui ceterum quantum differat ab hoc nostro, ulteriore monitu opus haud esse putamus. *Situs* horizontalis: *latitudo* caespitis saepe pedalis et ultra, pilei singuli majoris semipedalis. Provenit epigaeus in sylvis acerosis, inprimis collinis montosisve, passim frequens (e. c. *Seer Busch; Basalthügel; Hölle; Eulenwald* etc.) Augusto, Septembri.

726. B. frondosus.

Rara nobis species, nec nisi loco unico (*am windigen Damm*) ad radicem quercinam quotannis autumno favente resurgens. Sub finem Septembris.

727. B. giganteus.

Pileus obsolete zonatus, squamuloso-fibrillosus, valde rivulosus, disco demum fere niger. *Pori* mediocres, pallentes, ad latera saepe inaequales, aetate provectâ

ampliores laceri subsistotremoidei. In umbrosis nemorosis frondosis ad caudices vetustos eorumve radices (*Moholzer Haide; Sohlander Berg*) aliquoties inventus Aug. Sept.

728. B. platyporus.

α, *leucoporus*

ββ, *xanthoporus*

Convenit utraque var. squamis pilei majusculis nigricantibus, porisque amplis: at differunt etiam notis haud paucis, quae non procul absunt, quin separationem mereantur. In *α*, *pileus* ingens, spithamaeus et ultra, regularis, applanatus, disciformis, dilute ochreus, disco squamisque laevibus arcte appressis umbrinis. *Pori* maximi, inaequales, albidi, pallentes. *Stipes* distinctus, validus, crassus, brevis, subhorizontalis. In *ββ*, *pileus* multo minor, 2½ — 3 unc. fere latus, pro ratione satis crassus, subreniformis, aequaliter convexus, pallidus, squamis densis crassis laxiusculis disco concoloribus nigris obsitus. *Pori* amoene e flavo citrini, magis aequales, subrotundi, ½ lin. lati (*B. subtomentosi* fere), decurrentes in *stipitem* minus distinctum, brevissimum, subverticalem. Utraque var. unâ tantum vice reperta fuit: *α*, ad truncum quercinum (*Quolsdorf*) medio Septembri: *ββ*, a pueris, at oblitis, ex quânam arbore? allata (*aus dem Polsbruch*) ineunte Decembri. Hanc tamen aliquando etiam Neovedae ad Rhenum in caudice *Juglandis regiae* vetusto campestri legere nos meminimus, Julio.

729. B. cristatus.

Habitu crescendique modo ad *B. confluentem* nostrum accedit. *Pilei* subpulverulento-tomentosi. Provenit in sylvaticis umbrosis frondosis Herrnhutii (*am Hengstberg*) non infrequens: propius nondum repertus. Sept. Oct.

730. B. lucidus.
Stipes validus, saepe gibberosus, utplurimum horizontalis, vernice eodem prorsus, quo pileus, lucidissimo undique splendens. *Pileus* ad spithamam fere interdum dilatatus, robustus, durus, item nodis saepe et gibbositatibus variis obsitus, disco praesertim demum nigricans. *Pori* in vetustioribus subferruginei, pruinâ argenteo-cinereâ tenui detersili vestiti. Speciosum fungum hinc illinc invenimus truncis senilibus innatum (*Horker Dämme; Sohlander Berg; Diehsa*) *quercinis* hactenus et *alneis*. Durabilis est, perennis, ut videtur: a nobis repertus Junio, Julio, Septembri, Octobri.

731. B. varius.
Solitarius aut caespitosus, tenacissimus, duritiem demum ligneam assumens. *Pileus* subrotundus vel aliquantum obovatus, nunc ochraceo-lutescens, nunc exalbidus, planiusculus, laevis. *Pori* concolores, parvuli, tenues, subdecurrentes. *Stipes* in nostris lateralis, obliquus vel horizontalis, subteres, deorsum abrupte niger, unc. 1 fere longus, 4 lineas crassus. Aliquoties nobis obvia facta haec species in truncis *tiliaceis* semivivis (*Vorwerk*) inque radicibus *coryleis* nudis ad viam cavam (*Cunnersdorf*). Perennis procul dubio: nobis visa Novembri, Aprili.

c) *Apodes.*

732. B. citrinus.
Pilei saepe grandes, spithamaei, semipedales, longitudinaliter undulati, in caespites ingentes collecti, e flavo subrubicundi, oculos eminus attrahentes. *Pori* minuti, sulphurascentes aut subochracei, initio dilutiores. *Substantia* alba, exsiccata fragilis. Nos speciem formosam constanter hactenus *quercigenam* habuimus (*am windigen*

Damm; Cane; Diehse; Schinderleibchen; Tränke). Junio et seqq. in serum usque Novembrem.

733. B. stypticus.

Stipitis nonnumquam adest rudimentum quoddam brevissimum crassum, mox horizontale, mox subverticale. *Color* albidus, quandoque tantillum flavescens aut subvirescens — excepto *pilei* margine, initio pallido-guttato, dein rufescente sublateritio. *Substantia* carnosa, recens subtenax. *Odor* nauseosus. Truncos praeamat *pineos*, quos passim incolit (*Dubrau; Seer Busch; Häselachen;* etc.). Praesertim Septembri.

734. B. caesius.

α, sessilis

ββ, stipitatus

Fungus digito pressus, dum recens est, illico glaucescit aut dilute aeruginosus evadit. *Pilei* quandoque gregarii, terni vel quaterni confluentes: ceterum humidi, molles, nunc laeves, nunc striatuli aut rugulosi, interdum zonati, primo sericeo-nitentes candidi, dein saepe aquose caesii, rarius subfuliginei. *Pori* exigui inaequales, subdaedaleo-gyrosi. Var. *ββ*, distat *pileo* integro infundibuliformi, et *stipite* centrali verticali brevissimo concolore: etiam minus distincte coerulescit. Truncos, ramos, ligna fabrefacta *pinea* passim occupat *α*, frequens, *ββ*, rarior (v. c. *Schöpswiesen*). Autumno, hyeme, vere.

735. B. mollis.

α, rugosus

ββ, substrigosus

Eminus conspecta *α*, *Agar. Pleuropodis porrigentis* memoriam renovat. *Substantia* distincte fibrosa. *Pori* praesertim laterales angusti sublineares inaequales. *Pileus* diametro variat: ingentem aliquando habuimus, spi-

thamaeum et ultra. Cum hâc congruit ββ, substantiâ, colore primitivo, prominentiâ baseos stipitiformi (distinctiore etiam, rarius subcentrali): sed multo crassior est, *pileo* convexo aequali, aetate inprimis juniore distincte strigoso, rarius subflexuoso, *poris* aliquanto majoribus, magis aequalibus. Totus dein fungus maculas sparsim acquirit laete ferrugineas: an disjungendus? Incolit utraque var. truncos *pineos* et *abiegnos* passim, minime rara. Per totum autumnum.

736. B. hispidus.

Notabilis est species, *tubis* longis a *pileo* facile secedentibus insignis, a *Suillorum* naturâ hoc ex capite parum abhorrens. *Substantia* carnoso-fibrosa, spongiae ad instar bibula. Villus pilei hirsutus subfuscus. Rarus fungus a nobis quoque nonnisi semel in caudice *Pyri Mali* vetusto (*Cunnersdorf*) lectus: medio Julio.

737. B. fuscus.

Fungus recens pressus resinae analogon quoddam edit. *Pileus* modo convexus, modo planiusculus, interdum obsolete zonatus, ceterum rugoso-rivulosus, subtilissime tomentosus. Crescit ad truncos praecipue *abietinos* aut *pineos* (*Moholzer Haide* passim) haud infrequens. Viget autumno inprimis tardiore.

738. B. triqueter.

α, *sessilis*

ββ, *stipitatus*

Var. α, truncigena, plus minus distincte triquetra: ββ, terrestris, *pileo* integro depresso subumbilicato, *stipite* subcentrali crasso brevi, toto fore poris obsito; ad basin truncorum in pinetis crescens. Reliquis characteribus congruunt ambae. Tomentum *pilei* densum villoso-strigosum lutescente-ferrugineum. *Pori* satis parvi, pruinâ nitidiusculâ griseâ subdetersili demum evanescente obtecti,

unde tandem opace ferruginei subolivascentes evadunt, plus minus simul laceri atque subgyrosi. Affinis quidem omnino sequenti species: affatim tamen diversa videtur. Var. utraque in pinetis mixta occurrit: α, hactenus nonnisi in *Pino sylvestri* reperta. Hinc illinc (v. c. *Buchenwäldchen; Quizdorfer Busch; Löbauer Berg;*) autumno, hyeme, vere.

739. B. alneus.

Pileus plus minus inaequalis, gibberosus: demum totus laevis e spadiceo nigricans. *Pororum* micor constans et vere characteristicus. Crescit ad truncos *alneos* et passim etiam *betulinos* (v. c. *am windigen Damm; Moholzer Haide; Schinderleibchen;* etc.) frequens: semel quoque in caudice excelso semimortuo *carpineo* (*Diehse*) inventus fuit, et primâ quidem vice ante explicationem plenariam sublutescens, margine laete flavescente, et in universum a descriptione *B. carpinei* minime absonus; at autumno anni insequentis iterum loco nativo inspectus, prorsus jam evolutus faciem *B. alnei* eousque exacte induerat, ut ab eo dignosci haud amplius posset. Unde suspicionem nobis ortam esse, anne fungus anglicus ad huius tantum primordia (praesertim cum pori ad pilei marginem *nulli* dicantur) pertineat? nemo sane mirabitur. Viget inprimis autumno.

740. B. adustus.

Variat quoad *pilei* tenuitatem, basinque nunc lutescentem, nunc concolorem pallidam. *Pileus* interdum satis distincte zonatus. *Pori* constanter minuti. Innascitur truncis variis passim frequens, modo dimidiatus imbricatus, modo semieffuso-reflexus. Autumno, hyeme, vere.

741. B. crispus.

Item nonnumquam effuso-resupinatus. *Pileus* valde tenuis, praecedente obscurior, totus fere nigricans, sub-

fasciatus, margine constanter crispo subpapyraceo. Nos hunc ab antecedente separare nulli dubitamus, praecipue propter poros admodum diversos, satis magnos, acutiusculos. Parcior provenit illo, locis consimilibus (*Moholzer Haide* passim). Autumno tardiore.

742. B. fumosus.

Color totius fungi albidus, sed fumo quasi griseo (cinereo-rutilo) undique superflatus. *Pilei* versus marginem, secus ac in sequente, attenuati. Rarior provenit species ad caudices *Salicis albae* veteres cavos (*Ullersdorf* prope arcem): a nobis observata Oct. Nov.

743. B. svaveolens.

α, communis

Pori nonnumquam albi, hinc inde subrufescentes: utplurimum tamen fuscescentes aut fuliginei. Odor *Anisi* fere vel *Foeniculi*. Copiose incolit truncos *salicinos*, *betulinos*, aliosque arborum frondosarum varios. Septembri et sqq. unde hyemem perdurat in ver usque.

744. B. odoratus.

α, vulgaris

γ, polymorphus

δδ, tenuis

Matrix, e quâ lente evolvitur fungus, margoque *pilei* in ipsâ explicatione versantis — colore superbiunt laete ferrugineo. Hab. *α*, ad truncos *abietinos* ubique fere vulgaris, inprimis autumno: *δδ*, ad eosdem rarior, distincta *pileis* valde tenuibus; habitu, formâ, staturâ cum *B.* fere *versicolore* congruens, sed colore (vivaciore etiam) et odore ad *B. odoratum* spectans. Inventa (*Moholzer Haide*) primo Octobri. Ibidem etiam *γ*, aliquoties reperta ad caudices abiegnos locis madidis suffocatis jamdudum projectos, putredine jamjam dissolvendos. Oct. Nov.

745. B. marginatus.

Staturâ variat et formâ: sed margine facile dignoscitur. Truncis innascitur variis hinc inde (v. c. *Schöpswiesen; Moholzer Haide; Eulenwald*) non infrequens. Augusto, Septembri.

746. B. igniarius.

α, communis

Icon *fl. dan.* tab. 953. bona. Cognata quidem species antecedenti, quadamtenus etiam *B. fomentario:* satis tamen discrepat coloribus reliquisque notis. Frequens colit truncos caesos *abietinos* in sylvis nostratibus opacis: etiam var. illa planiuscula gigantea, sesquipedalis et ultra, a *Sphaeriâ citrinâ* valde conquisita, hinc illinc (*Moholzer Haide; Sohlander Berg* etc.) obvenit, item abietina. Perennis: laete vigens vere.

747. B. betulinus.

Forma regularissima. *Pileus* prorsus laevis, convexus, undique aequaliter effiguratus, margine late involuto albido. *Diameter* variabilis, inter 1 et 4 uncias. *Stipes* plerumque praesens. Increscit caudicibus ramisque *betulinis* (nec umquam aliis), et arborum quidem praecipue juniorum emortuarum putrescentium in sylvis densis humidis umbrosis (*Moholzer Haide* passim frequens). Autumno.

748. B. roseus NOBIS.

B. dimidiatus durus roseus, quasi fuligine cinereo-nigricante afflatus, pileo subtriquetro subfasciato, poris minutis.

Affinis quidem vicinis nonnullis, apprime *B. fomentario:* attamen vel ob ipsum *colorem* adeo diversum distinctumque, e totâ reliquâ familiâ prorsus exulantem, jure meritoque suo separari posse videtur. *Substantia* dura, fibrosa, subsuberosa, eleganter et saturate rosea.

Pilei imbricati, mediocres, 2 — 4 unc. lati, basi ½ — 1 unc. crassi, versus marginem tenuiores, laeves, fuligineum praesertim secus fascias sordide nigram ostentantes, quae in *hymenio* ob *poros* roseos subjacentes cinerea grisellave apparet. In trunco caeso *abiegno* unico acclivi (inter *Cunnersdorf* et *Rengersdorf*). Persistens.

749. B. fomentarius.

α, fomentarius
β, applanatus
δ, ungulatus
ε, obtusus
ζ, pomaceus
η, prunastri

Varr. *α, β, fagicolae* (*Eulenwald* passim), inter quas *β*, insignis magnitudine, *pilei* (subzonati) tuberculis et pulvere etc. cujus exempla habuimus paene pedalia, unc. 1 et ultra crassa. Varr. *δ, ε, salignae*, ad truncos *Salicum albae*, *Capreae* etc. hinc illinc (ad sepes interhortenses; *Monplaisir; Jänkendorf; Brückendamm* etc.) minime rarae. Varr. *ζ, η, prunicolae*, in *P.* praesertim *Ceraso*, *domesticâ*, *spinosâ* nobis *parasiticae*, arbores hortorum ac pomariorum vetustiores languidas male saepe vexantes; in *Pyris* nostratibus minus frequenter, ut videtur, obviae. Congruunt omnes hae varr. eximiâ substantiae duritie, incremento admodum lento, summâ colorum (quorum fundamentalis est sordide ferrugineus) affinitate, poris minutis: vix ultra varietates insigniores sejungendae e judicio nostro, saltem postimae *δ, ε, ζ, η*,. Omnes persistentes, perennes.

750. B. conchatus.

Haud multum forsan erraverit, qui hunc quoque antecedentibus connumeraverit: quibus, quamvis formâ, tenuitate, striis transversalibus facile distinguendus, poro-

rum tamen exiguitate, substantiae colorumque porro conformitate valde propinquum sese ostendit. Rariorem hunc caudicibus semimortuis *Salicis albae* increscentem, solitarium subgregariumve aliquoties reperimus (v. c. ad *Ullersdorf; Thiemendorf*) autumnalem, ceterum procul dubio perennem.

751. B. velutinus.

α, albus

β, lutescens

Crescit var. *α*, tota alba in lignis siccis parum frequens (*Moholzer Haide*) Aprili. Var. *β*, item truncorum ramorumque aridorum variorum incola, sed crebrior et autumnalis, differt *pileo* inprimis secus fascias (distinctiores quam in *α*,) lutescente: una eademque esse videtur cum *B. lutescente Pers.*, sed mera omnino est *B. velutini* varietas. *Pori* utrique conformes, parvi. Occurrit haec hinc illinc, Septembri, Octobri.

752. B. ochraceus.

Pileus vix zonatus, sordide fulvus. Fungi juniores tomentum molle satis densum, a latere conspectum canescens, aetate progrediente sensim subevanescens, in pileo gerunt. Neutiquam rara species ad truncos, ramos, ligna in sylvaticis frondosis passim: autumno velutina intensiusque colorata, vere laeviuscula et dilutior. (Ita nec in antecedente vero absimile est, *B. lutescentem* autumnalem hyeme durante nivibus etc. maceratum exalbescere, ac inde in *B. velutinum* vernalem transmutari). Ab Octobri in Aprilem usque.

753. B. versicolor.

α, vulgaris

γ, stipitatus

Pileus mox minus magisve tomentosus, mox laevis fere. Vulgatissima est *α*, ad truncos varios, e quibus tamen

praeamare videtur *betulinos*, in nemorosis frondosis ubique, subperennis. Parcior occurrit γ, ad caudicum radices (*Monplaisir; Ebersbacher Hohlweg*), *stipite* instructa brevi, nunc laterali, nunc e pileo integro infundibuliformi verticali centrali: reperta bis vel ter, vere.

754. B. cinnabarinus.

Latitudo nonnunquam triuncialis et ultra. *Pileus* paullo dilutius coloratus *poris*, demum prorsus laevis. Arbores frondosas varias incolere videtur: a nobis saepius lectus, locis umbrosis humentibus, in truncis lignisque *betulinis* (*Moholzer Haide; faule Brücken; Baruther Schafberg*); semel in ramis *Sorbi Aucupariae* (*verlornes Wasser*). Maio, Junio: item Augusto, Septembri.

755. B. abietinus.

Saepe totus fere effuso-reflexus, ad *Porias* transiens. Etiamsi primo intuitu faciem a *Sistotremate violaceo* satis diversam exhibeat, nos tamen etiam atque etiam veremur, ne ad hujus tantummodo aetatem juniorem mediamque spectet. Caudicibus lignisque *pineis* et praesertim *abietinis* frequens passim innascitur. Autumno, vere.

C. PORIAE.

756. B. P. Destructor.

α, communis

β, sebaceus

Var. *α*, infrequens nobis, hinc inde tamen obvia, non domestica tantum, trabes, asseres etc. in aedibus emolliens, verum sylvatica quoque, corticibus putridis *pineis* increscens, crassiuscula, varie effusa. Mere lignatilis, ut videtur: perennis. *β*, rarissimam semel ante complures annos in pavimento ligni omnis experte *lapideo* udo numquam non irrigato (*Anstaltsküche*) reperimus, margine lato sterili rugoso - undato glabro sordide pallescente

sebi stillatitii aemulatricem adeo mendacem, ut eam cum var. *Leysserianâ* (licet tribus modo verbis descriptâ) conjungere haud dubitaremus. Septembri.

757. B. P. salicina.

Longe lateque profusa, ad ulnas 4 — 5 interdum producta, cortices arborum vel vetustarum semivivarum vel emortuarum humi jacentium totos paene obducens. *Pori* in uno eodemque specimine pro sitûs diversitate alii verticales, alii obliqui, alii prorsus horizontales. *Substantia* dura, lignea fere demum evadens: *color* inter cinnamomeum ferrugineumque medius. Non *Salices* modo (*Cupream* et *albam*) obvestit, verum *Betulam* quoque et *Carpinum* (*Monplaisir; Diehsa; Moholzer Haide* passim). Persistens.

758. B. P. ferruginosa.

Cognata est *Medullae panis*, quâcum congruit crescendi modo, tubis inaequalibus ligno saepe internascentibus, aliisque notis: sed magis interrupta est, durior et crassior, tota sordide ac saturate ferruginea. Parum crebra obvenit in truncis vetustis muscosis semiputribus (abietinis? *Moholzer Haide* aliquot locis), vernalis nobis et aestivalis.

759. B. P. contigua.

ββ, dimidiata

Nostra fere semper occurrit dimidiata, sed in formam effuso-reflexam manifeste transiens. *Pileus* horizontalis, tomentosus, demum glabellus, angustus; 3 fere unc. longus, 1 crassus, semunciam latus. Junior albus, adultus ferrugineus. *Pori* majusculi, subrotundi, aequales. *Substantia* sicca, suberoso-spongiosa, valde *levis* (pondere pro voluminis ratione exiguo distincta). Hinc unâ alterâve sane notâ fungum nostrum a *Persooniano* recedere palam est: speciem tamen propriam nolumus. Amat

ligna *pinea*, cum sylvatica rudia, tum praesertim fabrefacta (v. c. *Monplaisir; Tränke* etc.) Autumno.

760. B. P. medulla panis.

α, vulgaris

Reperitur utplurimum truncigena, dura, sicca, glabra: est tamen etiam, ubi terrestrem habuimus, acubus pineis, terrae, muscis etc. interspersam, hasque materias incrustantem, admodum tum difformem, subhumidam, molliusculam. Frequens hinc inde occurrit, praesertim in sylvis acerosis. Omni fere anni tempore viget.

761. B. P. mucida.

Nunc subsicca est satisque firma, nunc humens mollis, pro diversâ loci, cui innascitur, tempestatisque conditione. Praeamare videtur caudices *pineos abietinos*que, quos modo aperta, modo subcorticalis aut intra cavitatum latebras degens copiose in sylvis nostris occupat. Persistens.

762. B. P. fimbriata.

Elegans species et distinctissima. *Marginis* laciniae saepe longae, exacte teretes. *Pori* praecipue marginales valde superficiales. Incolit ligna dejecta, truncos siccos *salicinos*, *quercinos* aliosque sparsim (*Monplaisir; Moholzer Haide; Sohland; Tränke*). Aestate, autumno.

763. B. P. vaporaria.

Junior candida, aetate provectiore albida, sordida, pallens. *Substantia* valde tenuis, sed *tubi* longiusculi. *Poris* grandibus sinuosis passim laceris difformibus facile dignoscitur. *Margo* obsoletus. Sub dio in regionibus nostris, sed constanter atmosphaerâ tepente, promergit hinc illinc e lignis *pineis* carie emollitis, ad sepes, in sylvaticis paludosis (*Vorwerk; Monplaisir; Basalthügel; Moholzer Haide; Tränke*). Coelo pluvio autumnali et praecipue aestivali.

764. B. P. sanguinolenta NOBIS.

B. P. suborbicularis effusave tenera aquoso-alba subhyalina ad tactum cruentata, margine dense byssino niveo demum subevanido.

Fungi juniores parvi, 4—6 fere lin. lati, gregarii: vicini deinde paullatim increscendo confluunt ita, ut specimen demum unicum satis longe lateque effusum, interdum spithamaeum et ultra, sed constanter sanguinolentum, efficiant; *margo* tum temporis obliteratur, totusque saepe fungus (antea laevis subpellucens) tomento candido villuloso — an byssi cujusdam parasiticae initiis? — obvolvitur. *Pori* initio parvi, recti, rarius subobliqui, aequales, rotundi: denique passim laceri subdiffornes evadunt. *Substantia* tenera, humida: digito ubicunque tacta et inprimis aliquantum pressa laesionis locum sub oculis observatoris intra minuti fere primi spatium, aut paullo citius tardiusve pro diverso vigoris gradu, colore pulchre sanguineo tingit, paullo post (cruoris animalis aëri expositi exacte ad instar) sordide fuscescente ac persistente. In quo phaenomeno parum hactenus audito (a recentioribus saltem mycologis, quantum nos quidem novimus, extra Agaricos vixdum observato) explorando curae cautelaeque nil, quod suppeteret, praetermittendum rati, ne quid forsan solo natali ipsi materiei cruentantis (entomogonae, aut casu alio quocunque istûc delatae) inesset; veriti, fungillos alios varios vicinos eidem matrici insidentes eodem prorsus modo pressos nil umquam simile prodentes, imo ne tantillum quidem decolorantes, vidimus. Quod idem tentamen in reliquis etiam fungis sanguinolentis nostratibus infra recensendis (*Thelephorâ*, *Pezizâ*, *Mesentericâ*) iteratum item omnino cessisse, heic jam, ne eadem repetendo molesti simus, lectores praemonitos velimus.—

Provenit species nostra plerumque *lignatilis* ad cortices, truncos, ramos dejectos, putridos *abietinos*, *betulinos*, forsan et alios; rarius *terrestris* ad latera humentia fossarum. In sylvaticis nemorosisve umbrosis udis (*Moholzer Haide* passim; *Schöpswiesen; Jänkendorf; Lohgruben*) haud infrequens. — Vere, aestate, autumno.

765. B. P. incarnata.

Effusa, margine subreflexo, subcoriacea, carnea, demum sordide rubella: *tubi* depressi, veluti repentes. Parcior nobis species, in cortice *abietino* ter quaterve lecta (*Moholzer Haide* aliquot locis; *Trebusser Busch*) in sylvaticis humidis. Vere, autumno.

766. B. P. nitida.

α, resupinata
ββ, dimidiata
γγ, violascens

Var. *ββ*, (crebrius nobis occurrens, quam *α*,) caespitosa est, imbricata, basi plus minus effusâ dimidiata, *pileo* subcarnoso-coriaceo firmo horizontali subtomentoso flexuoso-undato subzonato albido, basi interdum fuligineo-nigrescente, utplurimum $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ unc. magno. Faciem ab *α*, primo adspectu alienissimam offert: verum *pororum* quoad colorem, figuram, totamque indolem in utrâque conformitas sejunctionem vix patitur — forsan in *γγ*, potius admittendam, quae constanter resupinata, minor, formâ circumscriptâ subrotundâ, poris paullo majoribus, et praesertim colore toto eleganter ac dilute violaceo distinguitur. Eligunt sibi varr. omnes tres ligna truncosque apprime *pineos* et *abietinos*, quos in sylvaticis opacioribus (v. c. *Moholzer Haide; Seer Steinbruch; Basalthügel; Horker Busch*) coelo madente frequenter occupant. Autumno, praecipue tardiore.

767. B. P. mollusca.
α, epixyla
β, epiphylla

Var. *α*, plus minus effusa, pallida, nonnumquam flavicans, *margine* dein obsoleto, haud adeo rara in terris nostris ligna colit sicca, olim carie tacta, non *pinea* tantum, sed et alia arborum frondosarum variarum (*Lehmgruben; Moholzer Haide* etc.) sero autumno, vere, aestate. Parciorem nonnisi semel hactenus habuimus *β*, perquam teneram, telae ab insecto aliquo artefactae parum absimilem, sed centro porosam. In foliis *quercinis* obtectis vetustissimis putridis (*Tränke*). Medio Septembri.

768. B. P. subtilis.

Longe lateque effusa. *Pori* minuti, distantes, plus minus obliqui: exsiccati subrufescunt. *Membrana* tenax satisque firma, dum humet: exsiccata fragilis. *Margo* subaequalis. An hûc accensenda? Obiter inspecta *Pezizae porioidi* nostrae satis similis est: sed curatius examinata genuinam sese *Poriam* esse evidenter prodit. Unicâ vice reperta exempla nonnulla in corticibus truncorum (*Eulenwald*) muscis superstrata, membranâ facile solubili. Exeunte Junio.

769. B. P. reticulata.

Elegantula, tenerrima, recens candidissima, *poris* distincte pulverulentis. Ligna amat *pinea* et *abiegna* putredine tabefacta (*Moholzer Haide; hohe Linde; Tränke*). Aestate, autumno, hyeme.

D. FISTULINAE.

770. B. F. hepatica.

Tubulorum rudimenta illa, quorum meminit cl. *Persoon*, nos quoque in *pilei* praesertim *depressionibus* variis pas-

sim nidulantia semel bisve habuimus. Ad truncos *quercinos* hinc inde, non infrequens. Augusto et seqq.

FAMILIA III.
H Y D N O I D E I.

44. S I S T O T R E M A.
A. S I S T O T R E M A.
a) *S t i p i t a t a.*

771. S. confluens.
Pilei plerumque dimidiati, cum vicinis nonnullis connati, nunc circinantes, nunc in serie flexuosâ vel subrectâ collocati. *Stipites* modice longi, laterales, utplurimum verticales; at et prorsus horizontales locis acclivibus (ad orbitas, vias cavas) in pileos suos transfluunt. Totus fungillus semunciam fere latitudine et altitudine aequare solet. Occurrit nunc muscis interspersus, nunc solo nudo increscens, in sylvis abiegnis mixtisve passim (v. c. *Seer Lehmgruben; Basalthügel; Wieser Berge*). Ab ineunte Septembri in Novembrem usque.

b) *S e s s i l i a.*

772. S. cinereum.
Pileus albido-cinereus, interdum subfuligineus. Copiose passim truncos colit frondosos, apprime *carpineos*. Autumno.

773. S. violaceum.
Modo dimidiatum, modo reflexo-effusum. De hujus arctâ erga *Boletum abietinum* affinitate cf. quae diximus ad N. 755. Vulgatus nobis est fungus, in lignis truncisque praesertim *pineis* nullibi non crescens. Autumno, hyeme, vere.

774. S. pendulum NOBIS. Tab. VI. f. 7.
S. dimidiatum imbricatum pendulum, pileis disco flavis, margine subulisque compresso-laceris variis distantissimis candidis.

Subulis praecipue adeo parcis, ut hymenium fungo praesertim distento totum fere nudum in oculos incurrat, ab integro reliquo genere non parum discrepat species excentrica memoratu dignissima: aliud tamen genus, quorsum aptius referretur, nullum suppetebat. *Pilei* membranacei, quasi papyracei, plicabiles, plus minus longitudinaliter plicati, elastici simul, distensiles ita, ut plicae evanescant fere, at membranâ dein relaxatâ illico restituantur; piloso-squamosi quidem, at squamis longis laevibus arcte adeo adpressis, ut superficies tota ruguloso-laeviuscula appareat; e basi angustatâ substipitiformi nunc marginibus valde introflexis in figuram fere semiconicam (*tutenförmig*) penduli, nunc planiores antrorsum dilatati subtrigoni; juniores disco amoene flavi, dein lutescente-subochrei, demum basi praesertim fuscescentes. *Hymenium* laevissimum, mox totum (tandem sordidius) candidum, mox unà cum subularum basi flavum vel lutescens. *Subulae* lacerae, aliae margine varie inciso lamelliformes, aliae obtuse aculeatae; secus plicas praesertim non tantum in series distantissimas dispositae, verum in unâ quoque eâdemque lineâ intervallis variis a se invicem remotae. *Statura* totius fungi mediocris: latitudo vix uncialis. Hab. ad ligna

foco destinata, radices vetustas terrâ denudatas, hactenus nonnisi in *Pino sylvestri* inventus, locis sylvarum siccioribus autumno pluvio satis frequens, sereno rarissimus. Exeunte Septembri, et apprime Octobri, Novembri.

B. XYLODON.

Tab. VI. f. 4. 775. S. **viride** NOBIS.

S. X. effusum tomentosum mollissimum viride, dentibus crassiusculis difformibus acutiusculis obtusisque subincisis erectis.

Totus fungus admodum mollis levi etiam digiti pressione valde laesus paene destruitur: ceterum siccus, intactus diu persistens. *Color* mox vivacius mox sordidius viridis, illi ad N. 23 jam laudato, qui est in caseo viridi, interdum propinquus, aliâ vice in coeruleum vergens, aeruginosus fere: ceterum satis profundus, sed in fungo exoleto (qui viroris in aliis etiam, v. c. *Agar. Pratellâ aeruginosâ*, *Pezizâ sericeâ* nostrâ, *P. aeruginosâ* — mos est) expallescens, flavicans aut sordide ochrascens. *Subiculum* tenerum, subulis concolor, e tomento tenui in membranam nunc totam adpressam, nunc margine passim reflexam, conflatum. *Dentes* recti aut subobliqui, crassitie, longitudine, formâ diversi; plerique lin. 1 fere longi, ⅓ lineae basi crassi, subconici, alii compressi apice subincisi, satis conferti. *Forma* subrepando - effusa: *longitudo* quandoque spithamaea, *latitudo* aliquot unciarum. Raram aliquoties habuimus speciem in sylvis antiquis humentibus umbrosissimis (*Moholzer Haide* passim) truncis lignisve projectis semiputribus *alneis* increscentem. Aestate et autumno.

776. S. **quercinum**.

Dentes apice modo integri, modo fissi, imo etiam non-

nulli multoties tenuiter incisi (fimbriati). *Color* sordide pallidus. Infrequens nobis fungus: inventus ad truncos vetustos muscosos *quercinos* hyeme, vere (*Daubs Holzplatz*), et ad ramos mortuos *coryleos* (*Horke*) aestate.

777. S. fimbriatum.

Subiculum tenerum, tenue: fimbriae *marginis* albidae vel pallidae. Laciniae in *dentium* apice plerumque albae, subnitentes. Species excentrica, nobis haud adeo rara, cortices putridos obtectos suffocatos *abietinos* praeoptare videtur. Locis udis umbrosis (*Moholzer Haide* hinc inde). Ab Aprili in Novembrem usque.

778. S. digitatum.

Color ab initio inque statu recenti candidus, demum pallescens aut interdum subvirescens. *Dentes* in fasciculos plerumque collecti, passim veluti detriti. Ad cortices *betulinos* et *salicinos* (v. c. *Duberau; Moholzer Haide; Rengersdorf*), sed parum frequens. Autumno, vere.

779. S. spathulatum.

A sequente distat *subulis* plus minusve spathulatis subintegris (vix ac raro incisis) minoribus tenuioribus arctius congestis. Incolit ligna praesertim *abiegna* locis udis dejecta putrescentia (*Polsbruch*; *Moholzer Haide*) passim. Vere, aestate, autumno.

780. S. obliquum *Schrad.*

Cf. *Schrad. spicil. flor. germ.* pag. 179. Demum pallescit. *Dentes* majusculi, bilineares et paullo ultra, saepe valde obliqui, compressi, conferti, apice truncati incisi ac plus minus villosi. *Margo* passim byssaceus. Ligna incolit emortua subcariosa varia, pinea etc.: sed praeamat in terris nostris cortices ramorum *Betulae* dejectorum, quos frequens passim occupat, longitudinaliter ad

staturam pedalem et ultra saepe proserpens, 1 — 2 uncias latum. Perenne.

781. S. cellare.

ββ, album

Fungus noster totus quidem albus est, nec ullatenus pulverulentus: sed reliquae *Synopseos* descriptioni eousque accommodatus, ut varietatem speciei novae tantisper praeferendam duxerimus. *Dentes* glabri, firmi, recti, difformes, varie angulati, crassiusculi, congesti, albi. *Subiculum* tenue, tenerum, villosum, mollissimum, albidum, subcinerascens, in nonnullis prorsus obsoletum. Occurrit hinc inde (v. c. *Moholzer Haide*; *hohe Linde*) in lignis humidis putrescentibus dejectis obtectis suffocatis. Aestate, autumno.*

45. HYDNUM.

A. HYDNA.

a) *Integra.*

782. H. imbricatum.

Pileus regularis, depressus, saepe amplus, semipedalis et ultra. Crescit autumno humido in sylvis acerosis sicciusculis, inprimis montosis, frequens. Praesertim Septembri.

783. H. subsquamosum.

Fungum hunc ab antecedente separandum esse, vix dubitabit, qui vivos comparaverit. *Pileus* crassus, magnus, 3 — 4 uncias plerumque latus, plus minus inaequalis, subflexuosus, subrepandus, ad *H. repandum* ex hoc capite quadantenus accedens; saepe in uno eodemque individuo hinc prorsus laevis, illinc confertius distantiusve minute et adpresse squamulosus; e colore ochreo-rufe-

scente ferrugineoque mixtus. In sylvis acerosis passim frequens. Septembri, Octobri.

784. H. violascens NOBIS.

H. carnoso-fibrosum sordide violaceum, pileo rugoso flexuoso sublobato tomentoso, margine albicante, subulis tenuibus acutis albis, stipitibus basi subtuberosis connatis longiusculis.

Substantiâ, pilei magnitudine et difformitate convenit fere cum sequente: pileus tamen tenuior et planior in hoc nostro. *Stipes* firmus, solidus, saepe incurvus, ab 1 ad 3—4 unc. nonnunquam elongatus, ½—¾ unc. basi crassus, rarius solitarius: in perfectioribus enim *truncus* adest communis longus, apice bi- s. quinquefidus, ramis singulis pileigeris. *Subulae* regulares, mediocres, cum *hymenio* constanter albae. *Caro* item alba, hinc inde violascens, dura, fragiliuscula, fibrosa, sed nil coriacei nec suberosi habens. *Pileus* tomento brevissimo mollissimo obductus, ad tactum velutinus, quasi subpulverulentus, 1—4 unc. latus: eius stipitisque *color* potiùs fere Chocolatae subdiluti, e griseo rufove sordide violaceus. In abietinis muscosis autumno humido satis frequens (*Seer Busch; Dubrau; Hölle; Arnsdorfer Berge*). Augusto et praesertim sqq.

785. H. repandum.

Copiose hinc inde obvenit in sylvaticis variis, etiam acerosis. Per totum autumnum.

786. H. rufescens.

Praecedenti quantumvis primo obtutu simile, facile tamen distinctu. Frequens in sylvaticis, priori coaevum.

787. H. aurantiacum *Batsch.*

Cf. *Pers. Synops. addenda* pag. XXX. Species omnino sui juris. *Pileus* suberosus siccus irregularis rugosus, ad tactum molliter tomentosus, aurantius, margine albe-

scens. *Aculei* albi, demum sordide spadicei. *Stipes* plus minus excentricus, subbulbosus, radicatus, aurantiacus. *Statura* curta: pileus mediocris, 1 — 2 unc. fere latus. Rarius occurrit in pinetis colliculosis sicciusculis (*Duberau*; *Coseler Dämme*) Septembri.

788. H. compactum.

Nonne hûc Synonymon *Batschii H. suberosum* α, *spongiosum* (*Synops. add.* pag. XXIX) adduci poterit? ita sane videtur. *Substantia* tenacissima, suberoso-spongiosa, tempore sereno sicca, sed pluviarum, imo meri atmosphaerae humoris, avide bibula: unde fungus coelo humente madidissimus manu pressus spongiae prorsus ad instar aquam promit. *Pileus* latitudine inter 1 et 4 unc. ludens, crassus, obconicus, margine et superficie varie difformis, supra planiusculus, e sordide badio spadiceus, sed tomento quodam denso crasso albido-cinereo (ipsas etiam *subulas*, ceterum castaneas, *marginales* quandoque tegente) vel partim vel totus obductus. *Stipes* in pileum sensim transfluens, vix ullus. In pinetis siccis ericosis hinc inde, haud infrequens. Ab ineunte Septembri.

789. H. concrescens.

Vel ipsâ *pilei* tenuitate, striis, zonis etc. ab antecedente diversissimum. Infrequens in sylvis nostris: hinc illinc tamen obvium, praesertim locis nemorosis mixtis muscosis (v. c. *Moholzer Haide*; *Coseler Dämme*). Augusto et seqq.

790. H. tomentosum.

α, commune

γγ, atro-album

Initiale (ante subulas explicatas) pro familiae more totum obconicum *stipitem* dein paullatim acquirit tenuem. *Pilei* in hâc quoque specie saepissime concrescunt. Vul-

garis ubique pineta nostra incolit α, per totum autumnum: a quâ differt γγ, stipite graciliore etiam et longiore; pileo profundius infundibuliformi; colore, praeter marginem cum subulis album, violaceo-atro. Provenit var. elegans praesertim in abietinis muscosis (*Moholzer Haide; Seer Busch*) passim. Sept. Oct.

791. H. spadiceum.

Prope sane ad *Sistotremata* accedit. *Pileus* nec striatus, nec fasciatus, tomento molli velutino pulchre brunneo aequaliter tectus. *Subulae* versus basin pileo subconcolores, apice lutescunt. Species nobis quoque rarissima nonnisi semel bisve in abiegnis (*Duberau*) lecta. Sept.

792. H. auriscalpium.

α, spadiceum

ββ, bicolor

Var. ββ, nostra tota albida, orbiculo pilei centrali *circumscripto* (nec sensim transeunte) ferrugineo, non confundenda est cum aetate var. α, vulgatae juniore, colorem totum praesertim subtus dilutiorem monstrante. — Provenit utraque var. (sed ββ, parcior) in Strobilis, nonnunquam et acubus, *pineis* frequens. Perennans.

793. H. suaveolens.

Habitus fere *H. compacti*. *Pileus* grandis (spithamaea habuimus exempla), compactus, coriaceus, plus minus viscosus, colliculoso-rugosus, ceterum planus, tomento albido (margine excepto) saepe obductus. *Aculei* regulares, formosi, pulcherrime coeruleo-violacei; quibus obtectus paene *stipes* curtus, crassus, in pileum transfluens. *Odor* debilis, suavis: aliis Cardamomi fere similiumve aromatum delicatiorum, aliis foeni recentis (*Anthoxanthi odorati*), aliis vix ullus. Incolit species notabilis pineta nostra colliculosa sicciuscula (*Seer Busch; Basalthügel; todter Mann*) sed parum frequens. Aug. Sept.

b) *Dimidiata.*

794. H. ochraceum.

α, dimidiatum

ββ, integrum

γγ, muscorum

Exemplum vix ulla alia species luculentius offert licentiae ejus, quâ in Hymenotheciis plurimis quoad pilei situm stipitisque praesentiam aut absentiam ludere solet natura. Var. *α*, mox tota fere resupinata est; mox margine libero subtus arcte zonato (albido subtomentoso) semireflexa; mox prorsus dimidiata, pileo saepe pallente zonis ochreis concentricis picto tenui coriaceo-membranaceo, aculeis nonnumquam expallidis. At porro semel etiam invenimus exemplar (var. *ββ*, nostram) *pileo* prorsus integro regularissimo orbiculari infundibuliformi, *stipite* firmulo centrali perpendiculari, terrestre, parvulum, 4 fere lineas latum et altum, ceterum cum *α*, ex omni capite congruum. Ab hisce varr. sejungi forsitan meretur *γγ*,: at nonnisi unicâ vice parcior inventa fuit. Tota est resupinata, muscis superstrata, *subiculo* instructa laxo tomentoso albo, margine subreflexo, *subulis* conicis acutis mediocribus (1½—2 lin. longis) ex ochraceo rubellis: ab *α*, *ββ*, distat praesertim aculeis longioribus distinctis, imo subdistantibus. Ad 2—3 unc. producta est, 1 fere lata. Frequens passim nascitur *α*, in truncis lignisque putrescentibus apprime quidem *pineis* et *abietinis*, veruntamen aliis etiam variis (v. c. *Rubi fruticosi*) vere, aestate, autumno: *ββ*, loco umbrosissimo udo (*Schöpswiesen*) lecta initio Sept.: *γγ*, in *Fissidente sciuroide* trunci *ulmei* vetusti vivi (*Jänkendorf*) sub finem Augusti.

795. H. gelatinosum.

α, glaucum

ββ, dichroum

Var. ββ, ea est, cujus iconem dat *fl. dan.* tab. 717. Discrepat ab α, *staturâ* omnium partium ultra duplum majore, *pileo* 2/3unciali etc. coloreque duplici, supra brunneo, infra glauco. Var. α, unicolor, nisi quod pileus nonnunquam halitu quasi fuligineo afflatus sit. Utraque var. ligna colit praesertim *abiegna:* α, passim copiose; ββ, parcior, subcaespitosa (e. g. *Kämpfenberg*). Sept. Oct.

B. ODONTIAE.

796. H. fasciculare NOBIS. Tab. X. f. 9.

H. albidum, subiculo nullo, subulis fasciculatis mediocribus pendulis.

Varietas forte *H. macrodontis:* verum color staturaque, ne conjungeremus, prohibuere. Totum fungum constituit *fasciculus* unicus, albidus, pallens, sed ne tantillum quidem rufescens, pendulus: constans ex *aculeis* 4—12 fere, basi connatis, tereti-acutis, 3—4 lineas longis. Ad truncos *pineos abietinosque* putredine jamjam destruendos passim non infrequens (e. g. *Quizdorf; Basalthügel; Moholzer Haide*). Autumno.

797. H. castaneum NOBIS.

H. effusum laeve primo glaucum, dein badium, subulis longis confertis.

Fungus praepulcher. Aetate juniore *crustâ* caesiâ densâ opacâ totus obtectus: quâ sensim evanescente inque meram *pruinam* subtilissimam (nonnisi nicore quodam glaucescente fungi a latere conspecti agnoscendam) abeunte, color prodit elegans saturate castaneus. *Subiculum* sub lente subtomentosum: *aculei* laeves, teretes, acutiusculi, erecti, congesti, 3 — 4 lin. longi. Longe lateque effusus est fungus, pedalis et ultra; medio adultus badius, margine (ut fieri solet) juvenilis

semiexplicatus caesius. Semel lecta rara species in lignis putribus dejectis suffocatis *Populi tremulae* (*Moholzer Haide*) exeunte Aprili.

798. H. mucidum.

Ad longitudinem aliquot ulnarum quandoque effusum. *Membrana* nunc satis distincte tomentosa, nunc laevis. *Subulae*, colore excepto, quales in praecedente fere. In lignis variis putridis (*Moholzer Haide* passim) rarum. Autumno tardiore.

799. H. crustosum.

Subulae vix visibiles, obtusissimae; per lentem nonnullae apice concavae apparent, annulo quasi prominulo cinctae. Frequens occurrit ad ligna diversa putrescentia, etiam pinea, passim. Per totum annum.

800. H. farinaceum.

Ab *H. niveo* differt *subulis* paullo rarioribus multoque minoribus (vix conspicuis) in acumen tenuissimum exeuntibus, *colore*que pallido. Farinaceum satis apte dicendum. In ramis corticibusque *alneis*, *coryleis* etc. hinc inde, infrequens. Vere, autumno.

801. H. ferrugineum.

ββ, *obliquum*

Tomento, colore, situ effuso congruit var. nostra cum α; porro et aculeorum staturâ. Differt *subulis* rarioribus, valde obliquis (forsan ob situm verticalem), nonnullis compressis. Nonnisi semel inventus fungus nobis rarus in lignis vetustis fabrefactis *pineis* dolii in terrâ defossi (*Monplaisir*). Medio Novembri.

802. H. bicolor NOBIS.

H. late effusum tomentosum, subiculo tenui arcte adpresso albo, aculeis minutis rectis acutis distinctis e rufo spadiceis apice nudis.

Discrepat a praecedente colore duplici, minutie et

apice nudo subularum. *Subiculum* e candido colore in pallidum paullatim transit, spithamaeum et ultra. *Aculei* semilineam fere longi, arctius laxiusve congesti, semper tamen distincti, acuti, passim obtusiusculi, circa basin albo-lanati. In lignis truncisque praesertim abietinis siccis vetustis putredine exesis hinc inde (*Moholzer Haide; verlorenes Wasser; Jänkendorf; Rengersdorf*) haud infrequens. Autumno serotino et vere.

803. H. niveum.

Distinguendum (nostrum saltem) ab *H. farinaceo* notis ad N. 800 indicatis: ab *H. diaphano membranâ* firmiore crassiore neutiquam pellucidâ, *subulis*que magis congestis variis (aliis acutis, aliis subobtusis). Ad ligna *pinea* vel fabrefacta cellaria, vel rudia sylvatica (*Moholzer Ziegelscheune*; *Haide*) passim. Autumno, hyeme, vere.

804. H. diaphanum.

Subiculum laxe adhaerens, tenerum, pellucens, aetate juniore tomento subtili conspersum. *Subulae* lin. 1 longae, candidae, distinctae. Rarius in *Betulâ* (*Haide*) Sept. Oct.

805. H. calvum NOBIS. Tab. X. f. 8.

H. niveum demum pallens, subulis confertiusculis brevibus tenuibus acuminatis, subiculo nullo.

Differt ab antecedentibus omnibus *membranâ* constanter prorsusque nullâ: unde species haecce *Clavariolis* simplicibus accenseri posset, ni situs obesset aggregatus effusus, habitusque quidam hydnoideus. *Subulae* lin. 1 et paullo ultra longae, tenerae, erectae, longe lateque ad uncias complures effusae. Innascitur lignis putridissimis *pineis* passim (*Monplaisir; Moholzer Haide* etc.) haud infrequens. Autumno, hyeme leni, vere.

OBS. *Odontias* invenimus nonnullas etiamnum dubias, necdum dignas, quae in lucem prodeant: inter

quas una tamen adest admodum excentrica, cujus exemplar asservamus unicum, a quâ tribus verbis commemorandâ non abstinemus. Nuncupavimus eam tantisper

H. sudans. H. pallidum, *subiculo* laevi effuso (2½ fere unc. longo, 1 lato), *subulis* distantibus teretibus brevibus crassiusculis obtusis apice excavatis, (mirabile dictu!) guttulâ viscosâ pellucidâ ovatâ persistente, demum induratâ corneâ, coronatis. Genus itaque e maxime ambiguis: sed facies prorsus Odontiae. In ligni frusto putri (*Monplaisir*) aestate pluviâ, finiente Junio.

C. HERICIA.

806. H. coralloides.

α, heteromorpha

Forma fungi junioris (*Brassicae cauliflorae*), adultiorisque adeo diversa, ut ad species duas assumendas vel cautissimum seduceret, ni utraque conformatio in eodem individuo interdum juncta cerneretur. Ad lignum putre *abiegnum* infrequens (*Quizdorf; Moholzer Haide*). Sept. Oct.

FAMILIA IV.

GYMNODERMI.

---

46. THELEPHORA.

A. CRATERELLAE.

807. T. caryophyllea.

α, communis

Rarissima nobis species elegans, cujus nonnisi exemplaria duo, parvula, gracilia, semel inventa fuere ter-

restria in sylvaticis acerosis muscosis (*Trebus*). Medio Septembri.

B. STEREA.

808. T. terrestris.

α, vulgaris

β, dubia

Vulgatissima ubique occurrit *α*, nec infrequens passim *β*, quae certissime mera est illius varietas: utraque praesertim quidem epigaea, attamen haud raro etiam epixyla ad truncos putridissimos, qualem v. c. totum quantum nuper (*Arnsdorfer Berge*) utrâque var. intermixtâ vidimus tectum. Per totum autumnum.

809. T. laciniata.

Affinis antecedenti. Innascitur radicibus arborum frondosarum (*Moholzer Haide; Maiblumenbusch; Quizdorfer Wald*). Septembri et seqq.

810. T. rubiginosa.

Forma nunc angustata subsemiconica, nunc dilatata. In caudicibus annosis muscosis quercinis (*Seer Busch*) et fagineis (*Eulenwald*). Autumno, vere.

811. T. crispa.

Crescit in ramis truncisque *Pini sylvestris*, sed parum frequens in regionibus nostris (*Moholzer Haide; Tränke*). Autumno, vere.

812. T. ferruginea.

Ad longitudinem saepe eximiam ramis infusa, secus latera utrinque reflexa. *Hymenium* quasi pruinatum, setulis obtectum: color ejus tabacinus, pulveris Nicotianae sternutatorii. Nomen inde *Sowerbeanum* *T. tabacinae* aptius huic erit, permutationis cum *Corticio ferrugineo*, male homonymo, vitandae caussâ. Ramos hinc inde non infrequens (*Moholzer Haide; Schinderleibchen;* etc.)

colit emortuos aridos arborum frondosarum variarum, *Alni*, *Populi*, *Coryli*, *Rosae caninae*. Aestate et autumno.

813. T. rugosa.

α, *quercina*

β, *corylea*

Pileus in *α*, initio obductus est tomento fuscescente; dein glaber, paene niger, subzonatus. Crescit haec ad caudices quercinos passim frequens; nec *β*, (*Corticiis* proxima) rara hinc inde (*Moholzer Haide*; *Cunnersdorf* etc.) in truncis radicibusque coryleis occurrit. Utraque per totum fere annum.

814. T. hirsuta.

α, *vulgaris*

β, *alnea*

Vulgatissima. *α*, in arboribus frondosis epixyla, admodum polymorpha est quoad formam colorisque intensitatem et adumbrationem: perennis. Var. *β*, hinc illinc obvenit in *alnetis* ad caudices atque ramos, autumnalis.

815. T. sanguinolenta NOBIS.

T. imbricata dimidiata effusaque ad tactum cruentata, pileo albido-pallente hirsuto margine subundulato, hymenio glabro griseo-fuscescente.

Aliquamdiu haesitavimus, anne hûc pertineret *T. sericea Schrad. hirsuta γ, nitida Pers.* charactere uno alterove congruens? verum sanguinolentiam, notam constantissimam oculisque illico sese obtrudentem, ab observatoribus accuratis praetervisam fuisse, parum utique probabile est. Fungus nunc dimidiatus est, *pileis* arcte imbricatis tenuibus, in perfectioribus (subbiuncialibus) margine undulatis hinc inde incisis, subzonatis, pilosis (*pilis* mox substrigosis, mox longitudinaliter striatim adpressis subsericeo-nitentibus) — nunc resupinato-re-

flexus, ad uncias 2 — 3 effusâ membranâ coriaceo-subcarnosâ. *Hymenium* glabrum, tantillum pruinatum, modice papilligerum, intactum colorem cinereo-griseum aut sordide ferrugineum fuscescentem (Nicotianae fere vulgatae fumatorum) ostendit: at postquam vel semel cruentatum fuit, a sanguine persistente ac pro more suo atrescente totum fere (in *margine* pallidiore aeque ac in *disco*) nigricat. *Cruoris* ad tactum praesertimque pressuram emissi copia pro aëris conditione diversa est: tempore pluvioso creber saepe prodiens digitum aquamve, cui immersus fuit fungus, tingit. Copiose passim incolit ligna, ramos, truncos *pineos*, rarius *abiegnos*. Autumno, hyeme, vere.

816. T. mesenterica.

Mesenterium non male refert. *Pilei* tomentum griseobrunneum. Ter quaterve ad truncos *quercinos* (*Mayblumenbusch; Brüderwiese;*) et *betulinos* (*Duberau*) lectus fungus rarus. Autumno, hyeme.

817. T. purpurea.

α, sessilis

ββ, stipitata

Abunde ubique provenit *α*, ad caudices ramosque arborum frondosarum: ad quarum radices semel etiam (*Monplaisir*) reperta fuit *ββ*, rarissima, terrestris inter glareas foliaque decidua, *stipite* mediocri verticali centrali firmo, *pileo* integro orbiculari infundibuliformi. Utraque praesertim autumnalis.

818. T. lilacina.

Color in hymenio fungi recentis exacte lilacinus, florum *Syringae vulgaris*. Rarior in terris nostris occurrit ad radices *pineas* (*Seer Busch*) autumno.

C. CORTICIA.

a) *Pallente-carnea.*

819. T. quercina.

Sordide carnea, plus minus rugosa. Invenitur ad ligna quercina igni destinata, item ad truncos ramosque sylvaticos (v. c. *Tränke*) nonnumquam abunde: autumnalis.

820. T. abietina.

ββ, pinea

Convenit var. nostra cum *α*, *membranâ* coriaceâ siccâ semiliberâ (facile a matrice solubili) vel circulari peltatâ, vel, exemplis pluribus confluentibus, longitudinaliter productâ; porro et *hymenio* carneo-purpurascente, dein fuscescente. — Sed subtus sordide alba est aut pallens, vix tomentosa. *Papillae* majusculae, pruinatae, nitidiusculae. Copiose occupat haec nostras ubique fere truncos et apprime ramos *pineos* (nec *abietinos* hactenus). Autumno, hyeme, vere.

821. T. incarnata.

Membrana matrici arcte appressa, *papillis* mediocribus parcis adspersa. Provenit ad truncos corticesque varios (v. c. *Astracan; Moholzer Haide*). Autumno maxime serotino.

822. T. polygonia.

In aetatis vigore posita *colorem* ostentat elegantem e carneo subrubellum: exsiccata dein et vetustior pruinâ quâdam cinerascente obducitur. *Margo* demum undique revolutus duriusculus satis crassus, subtus nigricans. Est hujus varietas, *papillis* distincta rotundatis planioribus minus expressis, ad iconem *Hofmannianam* (*flor. germ.* II. tab. 6.) prope accedens, lecta v. c. ad ramos *fagineos* (*Eulenwald*) Maio. Frequens ceterum passim incolit haec species cortices *quercinos*, *populneos*, *tiliaceos* aliosque. Autumno, hyeme, vere.

823. T. fallax.

ββ, effusa

Ob *pseudopapillas* colorisque affinitatem hûc relata. Ceterum longe lateque (ad magnitudinem semipedalem et ultra) effusa, coriacea, satis crassa, glabra, e sordide carneo alutacea: aetate juniore flavicans subpulverulenta. Occupat ligna *pinea* et *abiegna* dejecta putrescentia (e. g. *Moholzer Ziegelscheune und Haide; Königshayner Berge*). Autumno, vere.

824. T. laevis.

α, incarnascens

β, alutacea

Est *α*, *Th. papyracea Schrad. spic.* p. 186: in sylvis ad ramos varios passim obvia autumno et vere. Ad *β*, referenda videtur *Th. alutacea Schrad. spic.* p. 187. Supra est alutacea mollis laevissima: subtus araneoso-tomentosa nivea, maculis hinc inde rubescentibus distincta. Subpapyracea, longe lateque saepe (ad spithamam et ultra) effusa. *Margo* initio adpressus byssinus, demum subsolutus passim introflexus. Domesticam hanc aliquoties invenimus, in cellis nostris ad trabes, palos, ligna e *Pino* fabrefacta, crescentem. Januario.

825. T. rosea.

Substantia admodum tenuis, papyracea, nonnumquam veluti pulverulenta, subradiatim rugulosa. *Margo* tomentoso-byssinus, nunc disco concolor, nunc albellus. Ad lignorum frustula in sylvaticis, sed parum frequens (*Moholzer Haide; Eulenwald; Cunnersdorf*). Autumno serotino primoque vere.

b) *Rubra.*

826. T. cruenta.

α, sanguinea

ββ, roseo-rubra

Conveniunt varr. ambae laevitie, *papillis* majusculis tuberculiformibus, in universum etiam colore: at differunt quoque notis adeo gravibus, ut, qui eas sejunxerit, parum errarit. Ad quamnam vero species *Ludwigiana* trahenda sit, e descriptione quatuor verbis datâ difficillimum profecto est determinatu. Var. α, orbicularis est, circumscripta, mediocris, vix uncialis, utrinque glabra, pulcherrime sanguinea, *papillis* instructa satis magnis subangulatis, unde ad *T. polygoniam* quadantenus accedit: tempore pluvio molliuscula, quasi ceracea, adpressa — sicco firmula, dura, fragiliuscula, semilibera, margine undique introflexa. Satis frequens in sylvis opacis umbrosis udis incolit haec ramos emortuos siccos *Salicis Capreae*, nec ullos alios (*Moholzer Haide; Schöpswiesen*) autumno, vere. Var. ββ, est ad unc. 2 — 3 effusa, laevis, subpruinata, constanter appressa, membranaceo-coriacea; *hymenium* dilutius, roseum; *papillae* saturatiores, cruentae, in medio fungo valde congestae, majusculae, subhemisphaericae. Crescit ad ligna ramosque putridos varios (*Moholzer Haide* passim). Autumno.

827. T. punicea NOBIS.

T. subrotunda oblongave tomentosa subpulverulenta granulata sordide punicea, demum brunnescens.

Colore ludit interdum cinnabarino, sublateritio. *Membrana* circumscripta, diametro 1½ — 3 unc. fere aequans, appressa vel subreflexa, subtus item tomentosa colore terreo distincta, supra *papillis* minutis confertis granuliformibus obsita. Provenit ad cortices *fagineos* (*Eulenwald*) et *abietinos* (*Moholzer Haide*) Martio, Aprili.

828. T. anthochroa.

In frusta varia quasi prae fragilitate dilapsa. *Color* in nostris sanguineo-ruber: *papillae* nullae. Semel reperta

species notabilis corticem caudicis *betulini* (*Lehmdamm*) totum occupans. Ineunte Maio.

c) *Pallente-flava.*

829. T. aurantia.

Exsiccatâ nonnunquam pruinâ subcarneâ obducitur: *color* ceterum vivacius sordidiusve aurantius. In *Rosâ caninâ* vetustâ, rarior nobis (v. c. *Cacus*). Vere.

830. T. hydnoidea.

Color e flavo vel incarnato aurantius. *Papillae* mox brevissimae, mox modicae subsemiglobosae latitantes, mox prorumpentes elongatae, obtusae vel subulato-subcompressae. Erumpit haec species ex epidermide ramorum *Fagi* (v. c. *Eulenwald*) et *Carpini* (e. c. *Anstaltsgarten*). Autumno, hyeme, praesertim vere.

831. T. granulosa.

α, alutacea

γγ, subochracea

Var. *α*, pruinâ cinerascente nonnumquam obducta invenitur. *Papillae* parvae, satis confertae. *Margo* nunc concolor, nunc albus. Crescit haec ad ramos *alneos* aliosque (v. c. *Seer Lehmgruben*) sed parum frequens: autumno, hyeme. *γγ*, longe lateque (ad spithamam et ultra) effusa, e flavo subochrea vel subrufescens, *papillis* obtecta minutis congestis granuliformibus — faciem ab *α*, satis diversam prae se fert. Innascitur lignis *pineis* putridis cellaribus sylvaticisque suffocatis (e. c. *Bihaner Bruch*) lecta hyeme, vere.

832. T. concentrica NOBIS.

T. effusa crassiuscula alutacea, margine subalbescente, papillis majusculis. subhemisphaericis concentricis.

Papillarum situs prorsus peculiaris. *Orbes* nimirum adsunt varie contigui aut sese invicem truncantes, pa-

pillis tumidulis exacte concentrice dispositis toti repleti. Totus fungus, dum viget, humidus est, molliusculus, laevis, alutaceus: exsiccatus senilisve subrufescit, durus et rimosissimus evadit, papillis tum collapsis subevanidis. Magnus, 3—4 unc. latus, ultra spithamam saepe longus. Ad sepes *pineas* (nec alias) putres dejectas (*Monplaisir; Astracan*). Autumno et vere.

833. T. incrustans.

Exempla nostra, nonnisi semel (*Brüderhof*) tempore pluvio inventa, terrestria et lignaria erant, ad aliquot uncias effusa, facile solubilia: *margine* tenui subfibroso. Medio Junio.

834. T. sebacea.

Differt a praecedente situ stalactitice dependente, crassitie, superficie laevi vel laeviusculâ, tuberculis parcis tantum et vagis conspersâ etc. *Sebum* exacte aemulatur in statu recenti, muscos, ramulos, aliasque quisquilias humi jacentes incrustans: siccum sordide rufum evadit. Aliquot legimus ter quaterve exempla locis umbrosis frondosis (*Lehmgruben; Seer Schlofsgarten*). Autumno, hyeme.

835. T. byssoidea.

Nostra centro plerumque satis vivide flava, versus margines dilutior ochroleuca. *Margines* ipsi persistunt byssoidei, passim nivei. Terrestris et corticalis copiose obvenit in sylvis acerosis. Vere, aestate, autumno.

836. T. ferruginosa.

Tomentosa, pulverulenta, vivide ferruginea. *Ferruginosam* tantisper diximus ob N. 812. Rarior nobis species hactenus nonnisi semel reperta in ramis betulinis putridis (*verlornes Wasser*). Augusto.

d) *Fusca.*

837. T. umbrina.

α, terrestris

ββ, lignatilis

Var. *α*, haud rara nobis in arenosis umbrosis (*Lehmgruben; Seer Schloſsgarten; Moholzer Haide* passim; *Horke*) Augusto et seqq. In *ββ*, *color* sordide violaceus, chocolatinus fere: nunc opacior, nunc dilutior. *Papillae* minutae, arcte congestae. Reliquis notis convenit cum *α*,. Innascitur haec lignis corticibusque *pineis*, nec ipsa infrequens (v. c. *Monplaisir; Moholzer Haide*). Aestate et autumno.

838. T. vinosa.

α, subrugosa

ββ, undulata

Papillas omnino *veras* parcas hinc inde sparsas habere videtur. Provenit *α*, rarior in truncis *abietinis* semiputridis (*Horke*) autumno. In *ββ*, *color* exacte vinosus: *superficies* aequaliter undulata, laevis, nec nisi *pruinâ* subtilissimâ cinerascente obducta: *margo* parum distinctus: *substantia* mollis. Ad ligna item *abiegna*, carie tantum non confecta (v. c. *Moholzer Haide; Schöpswiesen*) passim, locis umbrosis udis. Autumno, vere.

839. T. chalybaea.

Color peculiaris, admodum difficilis definitu. *Superficies* molliter tomentosa, velutina. *Papillae* mediocres confertae. *Margo* passim albidus. Amat ligna *pinea* vel fabrefacta cellaria hyemalis, vel rudia sylvatica aestivalis: bis terve inventa.

e) *Cinerascentia.*

840. T. marginata NOBIS.

T. orbicularis subeffusa pruinato-tomentosa ex aurantio

vel subrubente cinerascens; papillis majusculis crassis concervatis, margine reticulato intricato discolore olivaceo.

Corticium elegans, praeclare distinctum: biunciale fere, medio crassum, carnosum, succulentum, margine fibrosum siccum. *Marginis* fibrae firmae crassiusculae laete olivaceae ramosae, reticuli inaequalis in speciem quâquâversus intricatae. Nonnisi semel hucusque invenimus speciem rarissimam cellarem, lignis *pineis* artefactis vetustis putrescentibus increscentem (*in cellâ Seminarii*). Januario.

841. T. sulphurea.

Propinqua est *Himantiae sulphureae:* nec limites inter utrumque fungum certos nosse nos ingenue fatemur. Crescit mox pinicola mox terrestris in sylvis acerosis passim frequens. Inprimis autumno.

842. T. cinerea.

α, continua

Papillas observavimus in nostrate parvas raras absque ordine sparsas: spurias forsitan, nec nisi a ligno subjacente oriundas. Ceterum laevis, glabra, per exsiccationem valde rimosa evadit. Spithamam et ultra interdum longa, 1 — 2 unc. lata. Incolit truncos ramosque varios arborum frondosarum, *Sambuci racemosae, Aesculi, Alni*, passim (*Monplaisir; Moholzer Haide; hohe Linde*). Vere, autumno.

843. T. Cerebella.

Formosa species, effusa, ingens, pedalis et ultra. *Color* huic subdivisioni parum adaequatus. *Membrana* crassa, mollis, a matrice facile solubilis, epapillata: supra altero latere colliculorum ac gyrorum velutina subnitens ex albo flavicans, altero procellae quasi ope dense afflata pulvere copioso grossiusculo e ferrugineo olivascente: subtus araneoso-tomentosa, albida, maculis e luteo oli-

vaceis passim picta. Bis inventus fungus notabilis: primâ vice cellaris in lignis *pineis* vetustis (*cellae Seminarii*) Januario — secundâ in iisdem sub dio degentibus, sed loco suffocato ad basin sepium putridarum (*prope aedem Rengersdorfensem*) Novembri.

844. T. sera.

Duas fere unc. longa et lata. Ad albas prorsus pertinet. Occupat ligna putrescentia *alnea*, *salicina* etc. in sylvis udis (*hohe Linde*; *Cana*; *Moholzer Haide*) Oct. Nov. Mart.

f) *Alba.*

845. T. calcea.

α, communis

β, nivea

γ, Sambuci

Vulgata occurrit *α*, tenuis, arcte adpressa, modice rimosa, demum sordide fuscescens, ad ligna ramosque praesertim *abietinos* ubique: *β*, rarior in truncis putridis hinc inde (v. c. *Moholzer Haide*): *γ*, ad ramos et caudices vetustos *Sambuci nigrae* (*Ullersdorf*; *Thiemendorf*). Omnes tres autumnales et hyemales.

846. T. acerina.

β, quercina

Hûc omnino pertinere videtur nostra. Differt a specie praecedente praeter locum natalem *substantiâ* compactiore firmiore, *papillis* confertioribus etc. Demum pallescit. Rarior nobis in caudicibus vetustis muscosis vivis *Ulmi campestris* (*Jänkendorf*) Augusto.

47. MERISMA.

a) *Decumbentia.*

847. M. cristatum.

ββ, fuscum

Fungus noster specie forsitan diversus et novus: sed quum nullam aliam hujus Sectionis speciem hactenus nossemus, sejunctionem admittere tantisper tardavimus. Discrepat a *Persooniano* colore (sequentis fere) fusco-purpurascente, apicibus exceptis pallidis albidisve; superficie pruinatâ; ramis versus apicem dilatatis sed vix incrassatis, plerisque acutis, imo acuminatis. In reliquis non male convenit. *Odor* mucidus, ingratus. *Superficies* rugosa, passim tuberculosa, pruinâ albicante tecta. *Rami* plerique versus apicem sensim latiores, dein laciniati, cristato-fimbriati: *apices* minus magisve hirsuti. *Substantia* satis tenuis, humida, submembranacea, tenax. Invenimus fungum nostrum loco hactenus unico umbrosissimo udo prope sylvae marginem (*inter See et Quizdorf*), sed perfectum et frequentem, totum prostratum, ramulos humi jacentes, folia, muscos etc. longe lateque (ad spithamam fere) incrustantem. Medio Septembri.

b) *Erecta.*

848. M. foetidum.

α, commune

Frequens crescit in sylvis acerosis, praesertim editioribus siccis aut subhumentibus, nunc muscosis, nunc pessimâ straminificum sedulitate rasis. Parcior obvenit *var.* ramis attenuatis teretiusculis (*Comm.* p. 93), satis aliena primo obtutu; sed exempla prostant per varios gradus media. Ab Augusto in Decembrem.

FAMILIA V.

CLAVAEFORMES.

48. CLAVARIA.

A. RAMARIAE.

a) *Crassicaules.*

849. C. crispa.
Fungum speciosum ac memoratu dignissimum *Clavariis* congenerem esse, nulli prorsus dubio obnoxium: *substantia* enim utique est sequentium, carnosa, sapida, gulae blandiens. Ac etiamsi tota *Crassicaulium* Sectio (nostras certe) edulis in culinae usum colligatur, hanc tamen prae reliquis speciem, *barbam caprinam* (*Ziegenbart*) vulgo nuncupatam, non apud nos tantum, verum et in Silesiae regionibus nonnullis, in deliciis (nec immerito) habent. *Statura* haud raro capitis puerilis. *Color* albidus, pallens, subflavidus. *Caulis* tuberosus, pugni paene in majoribus crassitie insignis. *Rami* numerosissimi, in foliorum formam compressi, valde crispi, margine in uno eodemque specimine alii circumcirca argute serrati, alii inaequaliter dentati, alii integerrimi. *Forma* totius fungi utplurimum globosa, rarius anomala. Copiose provenit in *pinetis* (vix *abietinis*) nostris, apprime siccioribus colliculosis. Septembri, Octobri.

850. C. formosa.
Pulchra, rara nobis: aliquoties tamen inventa in populetis, betuletis, sylvisve mixtis umbrosis (*Moholzer Haide; Basalthügel; Obstberg*). Augusto et seqq.

851. C. flava.

Variat apicibus vivide luteis. In sylvis variis frequens, saepe ingens et crassissima. Praesertim Septembri.

852. C. Botrytis.

α, communis

Elegans, grandis nonnunquam. Saepe ex eodem trunco *rami* assurgunt alii regulares, alii difformes elongati crassi obtusi, *ramulis* item obtusatis parcis. *Speciene* vere differant NN. 850. 851. 852, sub judice lis est. Minime rara in sylvis (v. c. *Dubrau; Basalthügel; Moholzer Haide; Wieser Berge*). Aestate, autumno.

b) *Tenuicaules.*

853. C. abietina.

Fungus noster, dum viget, vel contritus vix virescit: exoletus virorem sordidum quendam induit. Ludit ceterum magnitudine, *ramis*que nunc strictioribus, nunc laxioribus tenuioribusque (per aetatem forsan juniorem). *Sapor* per varios gradus amarus. Copiose crescit in sylvis *abietinis* nostris, vix aliis, passim, locis praesertim muscosis, utplurimum terrestris, rarissime truncorum putrium incola. Ab Augusto in Novembrem usque.

854. C. pyxidata.

Initio albida, apicibus plus minus rufescentibus: vetustior aut exsiccata tota fere rufescit. Truncos occupat in terris nostris nonnisi *pineos* cariosos vetustos, in quibus hinc inde occurrit haud infrequens (*Schwesternbusch; Coseler Dämme; Moholzer Haide*). A Junio in Septembrem usque.

855. C. corniculata.

Color flavus, in vitellinum abiens, sequentis fere speciei: a quâ tamen differt notis in *Synopsi* indicatis. Obvenit passim, sed parum frequens, in gramineis ne-

morosis umbrosis (*Monplaisir; hohe Linde; Sohlander Berg*). Septembri, Octobri.

856. C. pratensis.

Frequentior antecedente, curta, inter gramina delitescens, recens lubrica subviscosa. Prata aprica, etiam sicciora collina, ubique fere incolit ab exeunte Septembri in frigus ingruens usque.

857. C. cristata.

α, vulgaris

β, nivea

In *α*, *color* saepe ex incarnato cinerascit aut subfuligineus est: *rami* haud raro difformes sunt, crassi, obtusi, fimbriis destituti. Var. *β*, ne aetas tantum junior sit, cum cl. *Persoon* etiam etiamque veremur. Fungus e maxime multiformibus, sylvas omnes nostrates, acerosas aeque ac frondosas, incolit vulgaris. Per totum autumnum.

858. C. fimbriata.

Justo utique affinior antecedenti, a quâ *ramis* praesertim elongatis atque paucioribus distinguitur: *villus* enim baseos in illâ quoque saepiuscule adest. Hab. in abietinis muscosis umbrosis (*Moholzer Haide; Arnsdorfer Berge;*) passim. Augusto et seqq.

859. C. subtilis.

Icon *Persooniana* bona. Fungus ab initio candidissimus, *substantiâ* tenerâ semipellucente, *ramulis* apice (a frigore forsan imminente) amoene lutescentibus: dein pallens opacior. *Statura* vix uncialis. Loco unico hactenus reperta species elegans, sed gregaria et abundans: cortici nimirum coriario (*Seer Lohgruben*) increscens, tarda. Octobri et Novembri. (Ramorum apices saepe etiam reliquo fungo concolores.)

860. C. viscosa.

Statura variabilis. Totus fungus tenacissimus lubricus,

dum humet: post exsiccationem rigens, fragilis. Ad truncos radicesque putrescentes *Pini* et *Abietis* in sylvaticis ubique vulgaris. Per totum autumnum.

861. C. rugosa.

Superficies constanter rugosa. *Rami* vel nulli, vel pauci polymorphi, in aliis erecti, subflexuosi, obtusi, in aliis acuti uncinati secundi, cornuum Antilopes ad instar etc. Inde unam alteramve varietatum in *Synopsi* indicatarum nos quoque possidere videmur: sed deficientibus descriptionibus certi nil determinare possumus. Amat loca umbrosa uda graminosa sylvarum, quae passim, sed parum frequens nobis, incolit (*Moholzer Haide; verlornes Wasser; Eulenwald; Herrnhut*). Praesertim Augusto et Septembri.

862. C. mucida.

Statura 3—6 linearum: exempla plura simplicia, nonnulla apice compressa bifurca, pauca ramosa. *Stipes* in perfectioribus flavo-sulphureus, nitens (prorsus ut in *C. ericetorum* et *flavipede*), semipellucens: *clavula* albida, *apice* in fungo recente concolore, sed inter exsiccationem cito ochrascente. Semel modo, sed frequens, sylvulosa, perfectissima lecta species elegantula in ligni (abietini?) frusto putri dejecto suffocato virore sordente obducto (*Moholzer Haide*). Finiente Octobri.

863. C. cornea.

α, communis

δ, major

Stipes in utrâque in *clavulam* sensim transfluit, indistinctus. δ, ultra duplum major est, recens mollissime gelatinosa, per paria plerumque circa medium connata, apice basique libera. Ligna *Pinorum* praeamat utraque, non rara autumno.

B. CLAVARIAE.

864. C. glossoides.

Stipes cylindricus, basi subnigricans, distinctus a *clavulâ* simplice compressâ ligulatâ, obtusâ vel acutiusculâ, latiore. Provenit nobis quoque constanter *quercigena*, hinc inde (v. c. *am windigen Damm; Tränke*). Autumno.

865. C. Ligula.

Gregaria, subcaespitosa, apice rotundata aut subtruncata, nonnunquam compressa bi- imo trifurca; dein flaccescens plus minus corrugatur. *Sapor* subamaricans. Vulgaris occurrit in sylvis *abietinis* (nec aliis) umbrosis muscosis, ubi ad radices praesertim *Pinorum Abietis* ac *piceae*, quarum ramulis dejectis emortuis inhaerere solet, catervatim crescit, 1—3 unc. longa (e. c. *Duberau; Lehmgruben; Basalthügel; Moholzer Haide; Chemnizer Busch* etc.). Augusto et seqq. in hyemem usque.

866. C. pistillaris.

α, communis

Solitaria, ingens, speciosa. Fungus in aetatis vigore positus laevis fere est et apice rotundatus: consenescens plus minus corrugatur ac vertice depresso subconcavo truncatus evadit. Nonne ad senium istud referenda var. *β, herculeana?* nos saltem exempla habuimus descriptioni hujus exacte respondentia, quae ad *α*, vetustam certissime pertinebant. Nascitur in sylvaticis umbrosis mixtis, infrequens nobis (*Basalthügel; Sohlander Berg*). Augusto, Septembri.

867. C. triuncialis.

ββ, juncea

Differt quidem nostra ab *α*, praesertim quoad dimensiones, longior etiam ac tenuior illâ, et specie forsitan diversa: nos tamen utrâque conjunctâ judicia mycolo-

gorum exspectare tutius duximus. Gregaria est nostra, subcaespitosa, e pallido dein rufescens, fistulosa, longissima, juncea, subfiliformis, exacte teres, erecta, nunc strictior, nunc laxior; *apice* acuto, nonnumquam subincurvo. *Longitudo* 3—4—5 unciarum: *crassities* $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin. Inferne in nonnullis *pilos* patulos sparsos raros observavimus: basi *radiculis* fibrosis teneris niveis in orbem radiatim expansis foliis deciduis humentibus putridis infixa est. Rarissima coelo autumnali sereno, madente frequentior in betuletis populetisque humidis umbrosissimis, sylvulas interdum ingentes efformans (*Moholzer Haide* passim). Praesertim Octobri.

868. C. ericetorum.

Color ex albido alutaceus vel flavescens. Fungus satis polymorphus, sed constanter apice incrassatus obtusus: saepe compressus, hinc vel utrobique longitudinaliter sulcatus. Serotinus more familiae universae fere *Simplicium: Ramariae* contra praecociores esse consuevere. Viget in ericetis pinetisque sicciusculis, ad vias arenosas sylvaticas (e. c. *Schwesternbusch; Moholzer Ziegelscheune und Haide; Cana; Arnsdorfer Berge*) tempestate pluviâ frequens. Octobri, Novembri.

869. C. flavipes.

Naturali omnino affinitate cum antecedente juncta, quâcum colore, stipite, substantiâ convenit: sed *formâ* constante satis superque diversa. Passim obvia nobis facta in pascuis, versuris, gramineis collinis sicciusculis (v. c. *Diehser Sonnenwäldchen; Obstberg*) tempore madente. Octobri.

870. C. angustata.

Specimina adulta ac perfecta descriptionem iconemque cl. *Persoonii* exactissime assequuntur: verum juniora, multo breviora, vixdum flexuosa, apice incrassata sub-

falcata, ad *C. falcatum β, obtusatam* adeo prope accedere videntur, ut suspicio, hanc istûc pertinere, inde nobis enata sit. *Color* nunc dilutius, nunc saturatius flavus, aureus. *Substantia* satis fragilis. Bis lecti caespites aliquot speciei elegantis in graminosis colliculosis humidis (*Seer Lehmgruben; Diehser Sonnenwäldchen*) post imbres diuturnos. Medio Octobri.

871. C. eburnea.

α, fragilis

Icon *fl. dan.* tab. 775. f. 1. bona. Species est in nostris regionibus rarissima, nonnisi semel loco remotiore (*Chemnizer Busch*) in umbrosis inventa, epigaea, caespitosa. Versus medium Octobrem.

872. C. falcata.

α, candida

Primo candida, dein pallens. De *β*, conf. N. 870. Rarior et haec nobis in frondosis umbrosis vel apriciusculis (*Monplaisir; Diehser Sonnenwäldchen*) atmosphaerâ madente. Medio Octobri.

873. C. micans.

Icon *Hofmanniana* sursum paullo magis, ac specimina nostra, incrassatam sistit. Minuta, vix ultra lineam longa: recens erecta vel subobliqua amoene rosea farinosa micans, *stipite* brevissimo dilutiore; exsiccata profundius rubet, inque hamum plus minus apice recurvata farinam fere totam amittit. Exemplaria speciei pulchellae vicena fere sparsa subgregariaque semel modo legere contigit in foliis petiolisque nonnullis siccis dejectis *Salicis Capreae* (*verlornes Wasser*) vere pluvio: medio Maio.

874. C. herbarum.

ββ, fungorum

Aetate provectiore longitudinaliter rugoso-sulcata, apice

albo - pruinata, ceterum semipellucido - badia, sed circa medium *cingulo* opaco nigro insignita. Convenit var. nostra staturâ, formâ, substantiâ a toto sane reliquo genere alienissimâ tenace subdurâ, cum α, (et nominatim etiam cum descriptione figurisque *Todeanis*): sed discrepat cingulo supra descripto, loco ac tempore natali. Onustum enim hocce fungillo reperimus *Agaricum* post putredinem semiperactam exsiccatum in sylvaticis umbrosis humidiusculis (*Moholzer Haide*). Primo Septembri.

875. C. pusilla.

Fungillus e simplicissimis, $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ lin. longus, oculos inermes tantum non fugiens. Recens albus, rectus plerumque: exsiccatus pallet et marcescit. Rarissimum in nostris quoque terris unicâ tantum vice in folio deciduo sicco *betulino* (*Schöpswiesen*) invenire contigit, gregarium, serotinum: ineunte Decembri.

C. TYPHULAE.

876. C. ovata.

Statura 2 — 3 linearum. *Clavula* a stipite satis distincta, nonnumquam sulco unico hinc exarata, intus cava. *Stipes Clavariarum* more, inter quas *Typhulas*que media est haec species, semipellucidus, basi puncto annulove nigro quandoque notatus. Exsiccatus fungillus pallescit et incurvatur, *C. micantis* prorsus ad instar, quâcum substantiâ, habitu, superficiei pruinâ congruens commercium alit naturale: satis tamen superque distans formâ, colore, staturâ. In stipitibus plantarum, stipulis etc. coacervatis (*Horker Dämme*). Finiente Junio.

877. C. gyrans.

Statura variat inter $\frac{1}{4}$ et $\frac{3}{4}$ unc. *Tuber* plerumque oblongum, pallens, demum fuscescens. *Stipes* tenerrimus,

in junioribus erectus, dein *clavulae* prorsus adultae pondere victus arcuatim vel flexuose decumbere solet. Vulgaris ubique locis udis umbrosis frondosis ad folia putrescentia, stipites, ramulos etc. — Septembri, Octobri.

878. C. erythropus.

α, communis

Species praepulchra. *Tuber* saepe semiemersum, utplurimum oblongum, semper rugoso-sulcatum. *Stipes* laevis, firmior quam in praecedente, erectus persistit; ejus *color* haud raro violascit. Vulgaris obvenit et haec ubique locis cum *C. gyrante* consimilibus, paene etiam frequentior illâ: ceterum coaeva.

879. C. phacorrhiza.

ββ, epiphylla

Discrepat var. nostra stipite praecipue erecto, locoque nativo sylvatico epiphyllo: notis reliquis ad *α*, proxime accedit. *Statura* totius fungi 2½ — 3½ unciarum: clavula stipite ultra duplum longior, aliquantulum crassior. *Tuber* immaturum laeve est, ex albo pallens: maturascens fuscescit et rugulosum saepe evadit. Exsiccatum nigrum fit minuteque ita corrugatur, ut granulatum appareat; aquâ refectum colorem fuscum superficiemque pristinam recuperat. Ceterum globosum vel lenticulare, intus album, centro subexcavatum, *Sclerotium* prorsus aemulatur. *Stipes* initio pallidus vel subrufescens, dein sordide fuscus, rectus, tenuissimus, teres: *clava* distincta, alba, item recta, fistulosa, elongata, deorsum cylindrica, sursum subulata. Nonnulla tamen exempla foliis madentibus putridis flexuoso ductu interrepentia iisque impedita nec assurgunt, nec clavam distinctam acquirunt. Inter folia putrida locis umbrosissimis udis (*Moholzer Haide* passim) minime rara, minus tamen crebra praecedentibus. Sept. et apprime Oct.

49. GEOGLOSSUM.

880. G. hirsutum.

α, vulgare

β, capitatum

Mixta copiose provenit var. utraque in pratis aliisve locis graminosis, ubique fere. Praesertim autumno.

881. G. glabrum.

α, commune

Totum saepe aëre madente obductum est *pigmento* quodam detersili laevi spadiceo-nigro: quo absterso, color e nigro subolivascens in lucem prodit. *Stipes* interdum squamulosus, saepius laevis. Praecox jam nascitur et aestivale Jove pluvio in gramineis apprime editis sicciusculis (v. c. *Lehmgruben; Öderniz; Quolsdorf; Arnsdorf* etc.) Junio et seqq.: frequentius tamen autumnale, Sept. Oct.

882. G. glutinosum.

Glutine stipitis admodum tenace, aegre exsiccabili, facile est distinctu ab antecedente. Aliquoties lectum in colliculosis graminosis subumbrosis (*Seer Lehmgruben*). Octobri.

883. G. atropurpureum.

Stipes nunc laevis, nunc fibrillosus sive squamulosus, plerumque dilutior. *Clavulae* color cruori fere humano exsiccato aequiparabilis: nonnumquam, deorsum inprimis, decolorans in sordide olivaceum vergit. In pratis versurisque siccuisculis hinc inde (v. c. *Seer Lehmgruben; Obstberg*) nascitur coelo pluvio. Octobri.

884. G. viride.

Ab initio e sordide flavo virens: dein totum viride. Squamulae *stipitis* dilutius coloratae, detersiles. *Substantia* carnosa molliuscula. Individua saepe 2 — 3 fasciculata. Loco hactenus unico lectum, sed gregarium et frequens,

quotannis redux, in muscosis humidis umbrosissimis secus scaturiginem (*Seer Ziegelscheune*) Octobri.

FAMILIA VI.

HELVELLOIDEI.

50. SPATHULARIA.

885. S. flavida.
Spathula in nonnullis subdifformis, varie flexa, apice interdum bifida. Nascitur fungus notabilis in abietinis umbrosis muscosis siccitisculis gregarius, sed parum frequens in terris nostris, nonnisi bis (*Moholzer Haide; Sohlander Berg*) hucusque inventus: et egregie quidem fertilis, *fumum semineum* in auras avolantem crebrum emittens, medio Septembri.

51. LEOTIA.

a) *Strongylocephalae.*

886. L. Mitrula.
α, vulgaris
ββ, strobilina
γγ, pusilla

Var. *α*, *pileo* cinnamomeo fere, *stipite* utplurimum saturatiore badio subnigricante, vulgaris ubique crescit in abietinis humidis umbrosis, acuum dejectarum putrium *Abietis* constans incola, perennis fere, excepto forsitan vere, tempestate humente. *ββ*, discrepat *capitulo* subrotundo, *colore* pallido unicolore, *staturâ* aliquanto ma-

jore, 1/1½unciali. Semel hanc strobilo *Pini sylvestris* dejecto vetusto (*Arnsdorfer Berge*) gregatim innatam habuimus medio Octobri. Addenda hûc porro γγ, minutula, 2—3 lin. longa, *stipite* tenerrimo flaccido, submicroscopica. *Pileus* ferrugineus ovatus: *stipes* concolor, imo dilutior. Rarior videtur, ni forte per exilitatem oculos observantes saepe fugere putanda sit: lecta in umbrosis humidis (*Seer Lehmgruben*) acubus *pineis*, nec abiegnis, infixa. Medio Novembri.

887. L. Ludwigii.

Fungus est e maxime polymorphis, mire pro diversâ aëris locique conditione varians. *Stipes* fistulosus, nunc brevis strictus superficie aequalis, qualem pinxit cl. *Persoon* — nunc plus minus (ad 3—4 uncias interdum) elongatus, laxus, valde saepe undulatus, subflexuosus (*Ag. Lepiotae flexipedis* fere ad instar): mox niveus, mox incarnascens ad rubellum subtendens, aut totus unicolor, aut basi (an a meris sordibus aquatilibus?) subnigricans. *Pileus* plicatus vel laevis, saepe intus cavus, *colore* ludit aureo, aurantio, etiam (praesertim ubi aquae aliquamdiu aequabiliter immersus fuit) amoeno rubello — *formâ* elongato-subconicâ acutiusculâ (iconis laudatae), aut ovatâ mediocri obtusâ, aut obovatâ subclavatâ, aut (rarius) subglobosâ inflatâ difformi: *apex* haud raro bifidus. *Substantia* valde fragilis: totus fungus glaber. Nostrum cum *Ludwigiano* unum eundemque esse, exemplis ab amico ipso *Ludwigio* benevole transmissis edocti sumus: suspicionem autem, anne hûc trahenda sit *L. Bulliardi*, forsan et *Dicksoni?* nemo facile descriptione nostrâ perlectâ in crimen nobis versurus est. In paludibus, rivulis sylvarum, aquae saepe semiimmersa, epiphylla etc. vulgaris. Perennis fere.

b) *Sphaerocephalae.*

888. L. truncorum NOBIS. Tab. III. f. 2.

L. gregaria carnosa minor, pileo hemisphaerico aureo, stipite albo squamuloso, squamulis e glauco nigricantibus.

Elegantula species primo adspectu antecedentis (ob colores nimirum) memoriam repraesentat: a quâ tamen diversissimam amplior illico explicatio demonstrabit. *Situs* gregarius, subcaespitosus: individua interdum aliquot fasciculata. *Substantia* carnosa, subtenera, praecedentis fere. *Statura* subsemuncialis. *Pileus* 2 lin. latus, 1 altus: orbicularis, *supra* convexus, hemisphaericus, dilutius profundiusve aureus, exsiccatus aurantio-ruber — *subtus* planus flavidus vel albidus, initio stipiti circumcircà adnatus, dein solutus, margine tum plerumque (solutione peractâ) inciso aut grosse dentato: demum passim subdifformis. *Stipes* quadrilinearis fere, subteres, satis firmus, ex albo (propter squamulas) glaucescens: *squamulae* plus minus confertae, nonnumquam obliteratae. Arefactus stipes contrahitur, totusque nigrescit. Raram speciem aliquoties invenimus truncis lignisque putridis madentibus innatam, secus rivulum umbrosum (*Eulenwald*) Maio, Junio.

889. L. circinans.

Sicca marcida: madefacta naturam carnosam prodens laete assurgit. *Plicae* e superiore stipitis parte sub pileo in ejus marginem usque decurrunt, unde fungus *Merulium* submentitur: sed parcae, distantissimae. *Stipes* 1 — 2 lin. tantum crassus, interdum valde pulverulentus. In abietinis umbrosis, infrequens nobis: solitaria (*Moholzer Haide* passim) aut circinans (*Sohlander Berg*). Aug. Sept. Oct. Fumans medio Augusto.

890. L. lubrica.

Lubricissima tempore humente, flavo-virens, in sordide vitellinum abiens. *Pileus* saepe, in exsiccatâ praesertim, plus minus difformis: *stipes* cavus. In sylvis mixtis udis frequens. Aestate et autumno.

OBS. *L. ambigua.* L. magna brunnea, pileo hemisphaerico libero, subtus concavo remote plicato. Statura, forma, stipes, pilei squamulae — prorsus quales in *Agar. Omphaliâ farinaceâ* vetustâ, cujus forte fuit var. monstrosa: *hymenium* laeve, praeter lamellas? pliciformes raras distantissimas, quales in *L. circinante* fere. Lectum exemplum unicum in umbrosis udis (*Moholzer Haide*) Octobri.

52. HELVELLA.

a) *Acaules.*

891. H. acaulis.

Fibrae radiciformes crassiusculae, subsimplices, albidae, saepe copiosae. *Substantia* totius fungi fragilis. Vulgaris autumno humido in pinetis sicciusculis ubique fere: nunc loca adusta sectatur, nunc muscis pulvinatis (*Dicrano glauco* aliisque), pileum passim perforantibus et transcrescentibus, superfusus occurrit et s. p. Inprimis Septembri: rarior aestate.

b) *Sulcicaules.*

892. H. Mitra.

α, communis

γγ, pratensis

Pileus stipiti primo adnatus: demum saepe liber. Ceterum passim inflatus, haud raro tri- vel quadrilobus. *Statura* ludit inter ½ et 3 uncias. Terrestris in ambu-

lacris arenosis *nudis*, viis etc. non rara, fumans Maio, Junio: minus crebra aestate et autumno. γγ, procera, *stipite* elongato sursum attenuato 4unciali, *pileo* sublibero semunciali (*Löbauer Berg*). Medio Septembri.

c) *Laevicaules.*

893. H. fistulosa NOBIS.

H. pileo libero planiusculo repando demum deflexo, supra livido-fuligineo, subtus incarnato-rosello, stipite longiusculo laevi subundulato fistuloso sursum incrassato carneo.

Specimina fungi notabilis nonnisi semel tria quatuorve reperimus, quorum tum per temporis angustias delineationem neglectam valde dolemus. Ad *Pezizas* forsan translocandus erit. *Pileus* subdifformis, primo planiusculus subumbilicatus, dein margine in stipitem deflexus, uncialis fere. *Stipes* laxus, debilis, 2—3 lin. crassus, 2—2½ unc. longus. *Substantia* carnoso-membranacea, tenera, fragilis, Helvellis Pezizisve helvelloideis solemnis, quibuscum et fructificatione prorsus congruit. In sylvaticis udis muscosis (*Polsbruch*) terrestris: medio Octobri.

894. H. Infula.

α, truncigena

γγ, terrestris

Stipes saepe cavus, lacunis variis saepius profundis obsitus, in rufum vergens, sed tomento molli albo plus minus, praesertim intra pileum, vestitus. *Pileus* staturâ admodum variabili ludens, ½—1 unc. magnus, sed in egregie nutritis 3—4 unc. longus, 2—3 latus, eleganter brunneus, saepe tricuspis: pertinet hûc *Phallus triceps fl. dan.* tab. 835. Crescit α, ad truncos abiegnos putres, aquaeductûs madidos (*Diehse; Basalthügel; Mo-*

holzer Haide) Jove pluvio frequens. Nec γγ, rara, terrestris, pileo subgyroso, inter α, et sequentem media (*Lohgruben; Heinrichsruh; Haide*). Utraque Sept. Oct. Nov.

895. H. esculenta.
Affinis omnino antecedenti: affatim tamen discrepat *statura* variabili quidem, at in universum minore; *colore* saturatiore e brunneo nigrescente; *stipite* breviore (ceterum albicante-subtomentoso caviusculo passim lacunoso); crescendi *tempore* vernali; et praesertim *pileo* (subglobose circumscripto) valde rugoso-gyroso, costis numerosis elaboratis flexuosis obtusis, areolas spurias difformes varias efficientibus, insigni. *Color* rarius laetior, cinnamomeus. Frequens venum fertur fungus edulis: *gemeine Morchel*, *Stumpfmorchel*. Pineta nostra sicciora ubique incolit, terrestris, soli apprime laxi nudi arenosi amans: tertio quovis anno copiâ prodire videtur abundantissimâ. Martio, Aprili.

53. MORCHELLA.

896. M. esculenta.
β, *vulgaris*
Aut haec est, aut nova γγ,: e sordide brunneo fuliginea, *pileo* basi contracto conico acuto, *areolis* rhomboidalibus. Delicatior habetur praecedente: *Spitzmorchel*. A nobis in sylvis tantum remotioribus (*Herrnhuth; Strawalde*) inventa: proxime tamen Niskiam olim passim lectam testes affirmant fide utique dignissimi. Paullo tardior nascitur antecedente: Aprili, Maio. (*Monplaisir*).

54. TREMELLA.

A. TREMELLOIDEAE.

a) *Subsphaericae.*

897. T. mesenterica.

Multo firmior sequente, et colore saturatiore distincta. Ramis passim increscit arborum frondosarum (*Monplaisir; Schöpswiesen*; *Eulenwald*). Aprili, Maio.

898. T. lutescens.

Eximie saepe mollis, in laticem aqueum paene diffluens. Ad ramos mortuos dejectos arborum frondosarum variarum (v. c. *Lehmgruben; Obstberg; Eulenwald; Schinderleibchen; Sohlander Berg*) minime rara, 4—6 lineas plerumque magna. Autumno, hyeme, primo vere.

899. T. fragiformis.

ββ, carpinea

Paullo minor est nostra, oblonga, parum crassa, loco etiam nativo discrepans: ceterum hûc sane accensenda videtur. Compacta, exacte fragicolor in statu sicco, humectata elegantissime incarnata, ex lobulis tota constans, quorum nonnulli etiam solitarii circum exemplar perfectius sparsi inveniuntur. Exsiccata semunciam ferme longa, 3—4 lin. lata. In ligno arido durissimo carpineo *Sphaeriae Stigmati* passim innatam semel (*Basalthügel*) hanc habuimus medio Aprili.

900. T. encephala.

Admodum distincta, sed generis ambigui. Crassa, globosa oblongave, 3—6 lin. utplurimum magna, solitaria aut caespitosa: recens dilute carnea, inter exsiccationem sordide rubescens aut fulvescens in fuscum demum colorem transit. Extus tremellosa est, plicato-rugosa etc.: sed intus *nucleum* continet compactum, durum, siccum, similarem, album, substantiae fere *Sclerotiorum*. Ad ligna

pinea (nec alia) passim (v. c. *Holzplätze; Schöpswiesen; Basalthügel*). Autumno, hyeme, vere.

901. T. candida.

α, rotundata

ββ, effusa

Recens alba, per exsiccationem e glauco nigrescit: humectata denuo fit alba. Passim ad ligna duriora (v. c. *Obstberg; Lehmgruben*) hyeme. *ββ*, 3—4 unc. longa, ½ lata et crassa, in truncis *fagineis* (*Eulenwald*) Martio.

b) *Applanatae.*

902. T. spiculosa.

α, nigra

β, glauca

γγ, saccharina

In *α*, ligna varia copiose ubique incolente, *papillas* aliquando (hyemali tempore) globulis albis coronatas observavimus. Viget haec autumno et hyeme: *β*, vernalis nobis lecta, glauca, pruinâ tomentosâ albidâ tecta, in *Populo tremulâ* (*Moholzer Haide*) ineunte Aprili. Var. *γγ*, congruit cum *α*, *papillis* obtuse conicis: sed differt *formâ* crassiore, *superficie* magis plicato-gyrosâ, *colore* constanter et persistenter sordide fulvo semipellucente, Sacchari crystallizati (*braunen Kandelzuckers*) speciem praebente, *loco* natali ad ligna caesa *Pini sylvestris*. Num itaque propria species? Frequens ubique fere autumno, hyeme.

903. T. Auricula Judae.

γγ, pitya

Diversa forsan et haec species: ob colores potissimum hûc apposita. Bi- s. trilinearis crassiuscula, supra plana nigra, subtus rugoso-subplicata laete olivacea. Exempla aliquot arcte congesta. Rarior occurrit in ra-

mis corticibusque *pineis* (v. c. *todten Mann*). Novembri, Decembri.

904. T. juniperina.

α, fulva

β, auriformis

Rarissimam α, (e fulvo subpurpurascentem, *venis* paginae exterioris prominulis tumidulis) semel attulere pueri, at obliti unde? Decembri. β, vel ob colorem laetissime flavum sejunctu haud indigna, truncos amat *pineos* et *abiegnos*, in quibus aliquoties inventa (*Thiemendorf*; *verlornes Wasser*) Aprili, Maio.

905. T. foliacea.

α, communis

ββ, violascens

Individua aliquot in formam subpezizoideam connata. Occupat α, passim frequens ligna dura varia putrescentia (v. c. *Monplaisir*; *hohe Linde*; *Moholzer Haide*). Autumno, hyeme, vere. Var. ββ, unicâ vice in trunco *carpineo* caeso vetusto (*Buchenwäldchen*) reperta, minor est, crassior, e purpureo violascens, marginibus albopruinatis. *Formâ* ad α, accedit; *pruinâ* albente, quadantenus et *colore*, ad *T. dubiam*. Novembri.

B. PEZIZOIDEAE.

906. T. saligna NOBIS. Tab. IX. f. 7.

T. erumpens disciformis tenuis ceracea alba cinereo-pruinata, demum nigra.

Aptior locus, quo dubii generis fungum collocaremus, nullus suppetebat. Nunc planissimus est, nunc subdepressus, orbicularis ellipticusve aut obtuse angulatus: cingitur mox cortice stellatim rupto ac reflexo, mox ligno prominente nudo: saepe enim in disco caeso prorumpit. *Substantia* albida, mollis, ceracea, sed non

tremellosa: sphaerularum nullum unquam vestigium. Vigens fungus ex albo subglaucescit, pruinâ saepe (an *seminali? Tremellis* solenni) cinerascente tectus: dein contrahitur difformisque evadit. In *Salice albâ* semivivâ aliquot locis (*Cane; Schinderleibchen*) non infrequens. Octobri, Novembri.

907. T. abietina.

Gregaria, passim subconfluens, opaca, rarius semidiaphana, eximie variabilis. Ludit *colore* aureo, aurantio, rutilo, rubro: *formâ* globosâ, obovatâ, applanatâ, subdepressâ; luxurians exacte pezizoidea quandoque fit, *stipite* opaciore. Vulgatissima, perennis.

908. T. Stictis.

Subconvexa vel plana: recens tota fusco-rufa; vetusta extus nigricans, intus alba. *Albedo* fungillum cingens nonnunquam deest. Semel hactenus hanc speciem observavimus in caule arido *Lilii bulbiferi* (*Anstaltsgarten*). Sub finem Octobris.

909. T. lacrymalis.

Saepe adeo dense aggregata, ut inde comprimatur et subdifformis evadat: ceteroquin exacte orbicularis supra plana aut subconvexa, plerumque lutescens, rarius sordide rufescens, in putridissimis alba aquoso-hyalina lacrymae simillima. Ad ligna putria *pinea* passim (v. c. *Monplaisir; Haide* etc.) frequens. Autumno, vere.

910. T. Urticae.

Pellucida, ceracea, parum tremellosa. — Praeter *Urticam* rarius etiam obvenit in caulibus arescentibus *Daturae Stramonii*. Sero autumno, vere.

C. ACROSPERMA.

911. T. clavariaeformis.

a, communis

Initio tota subglobosa oblongave crassa, formâ tremel-

loideâ; dein in clavulas figurae in *Synopsi* descriptae fasciculatas excrescit, laxissime jam ramo suo (tumidulo) adhaerentes. In utroque statu *pulvere* saepe tecta saturatius colorato. Ad caudices ramosque vivos *Juniperi communis* in editis siccis (*Thiemendorf* abunde) aut subdepressis (*Küchenwiese* frequens). Vere pluvio: Aprili, Maio.

912. T. dubia.

α, communis

Basi saepe atropurpurea, versus apicem gradatim dilutior: nonnumquam subramosa. Ad ligna putria passim (*Haide*; *Eulenwald*; *Tränke*; etc.) Sept. et sqq. rarius vere.

55. PEZIZA.

A. TREMELLOIDEAE.

913. P. inquinans.

*Staturâ formâ*que eximie variabilis; extus pigmento umbrino subpulveraceo inquinante tecta. Ad truncos caudicesque vetustos, utplurimum *quercinos* (v. c. *Holzplätze*; *Lehmgruben*; *Dubrau*; *Cunnersdorf*; etc.): at perfectissima etiam et vaegrandis in *Fago* excelsâ vivâ (*Eulenwald*). Autumno, hyeme, vere.

914. P. gelatinosa.

Variat *colore* cinnamomeo-fusco, fuligineo, nigricante. Ad ramos siccos emortuos *Capreae* (nec alios) ubique fere frequens. Tardo autumno, vere.

915. P. sarcoides.

α, vulgaris

Exempla interdum occurrunt ingentia reliquorum caespitibus intermixta, unc. 1 lata, regularia, modice stipitata, extus albido-subtomentosa, nec ibi tantum, sed et in-

tus, plicato-seu venoso-rugosa: quae si solitaria haberes, diversi fungi specie facile fallereris. *Color* modo dilutior carneus, modo opacior ruber. Frequens in truncis putridis (*Mayblumenbusch; Obstberg; Moholzer Haide;* etc.) Autumno praesertim serotino.

Tab. XI. f. 5. 916. P. Clavus NOBIS.

P. gregaria stipitata carnoso-subtremellosa firmula purpurascens, disco convexo-planiusculo pileiformi.

α, pallens

β, violascens

Clavum aliquatenus refert: ad *Helotia* tamen ablegandam vix censuerimus.. Gregaria, conferta, subcaespitosa. Admodum polymorpha est *α*, quoad *stipitis* longitudinem et formam. Nunc brevis est, bilinearis fere, nunc ad semunciam elongatur: mox teretiusculus, imo basi subincrassatus, mox obconicus versus discum intumescens inque eum transfluens: vel huic totus concolor, vel deorsum sordide ochreus aut subaurantius; ceterum semper firmus, rectus, crassiusculus vel crassus. *Discus* a. 2 ad 6 lin. imo ultra latus, e pallido dilute purpurascens aut sublivens: ejus forma initio constantissime convexa pileiformis demum saepe evadit planiuscula centro umbilicata (ibique nonnumquam subrugosa), sed numquam concava. *Margo* integerrimus: totus fungus glaber. Foliis variis deciduis putribus madidis, saepe intra ipsissimam aquam, increscit in sylvarum latebris imis umbrosissimis paludosis (*Moholzer Haide*): altero anno abundantissima species, altero perquam rara. Praesertim Maio, Junio: parcior, minor, minusque perfecta autumno. Var. *β*, exacte obconica est, *disco* plano interdum subconcavo, tota amoene violacea, mollior, magis tremellosa. Sejungere hanc in animo erat: sed in genere variis naturae lusibus prae ceteris forsan obnoxio

intensâ severitate opus esse rati, propositum deseruimus. Ramulos deciduos, stipites, folia etc. incolit haec locis prorsus similibus cum α, — aliquoties creberrima inventa (*Moholzer Haide*; *Schöpswiesen*) Septembri, Octobri.

917. P. uda.

Exacte orbicularis, planissima, crassiuscula: *diametro* inter 1 et 3 lineas variat. *Color* nunc lividus, nunc in olivaceum disco praesertim vergens, subtus demumque etiam supra fuscescens subfuliginosus. Ad ligna varia madentia passim (v. c. *hohe Linde*; *Tränke* etc.) Vere, autumno.

918. P. cinerea.

α, *cinerea*

β, *pallida*

Utraque nunc regularis scutelliformis primo intutu sublichenoidea, nunc minus magisve difformis. *Cupulae* interdum congestae, subconfluentes. *Color* intensitate varians, in β, pallens subcarneus. - Frequentes varr. ambae ad ligna ligone fissa, ramos deciduos *Pinorum*, *Ledi* etc. in sylvaticis udis hinc inde. Autumno, vere.

919. P. conigena.

Gregaria tumens subpulvinata sessilis aut substipitata, prorsus immarginata. *Substantia colorque* unicolor omnino antecedentis α,: *forma* regularissima. Exempla nonnulla admodum convexa subsemiglobosa. Nos hanc rariorem reperimus in fissuris truncorum aliisve lignis *abietinis* locis sylvaticis udis (v. c. *hohe Linde*) Novembri, Decembri.

920. P. aurea.

Modice concava, saepe parum marginata, lutea, demum fulvens, pulchella — *substantiâ* tenui diaphanâ subtremellosâ. Exsiccata contrahitur profundiusque fulvet.

Ad truncos varios, sed perfectior ad duriores, v. c. *carpineos.* Vulgaris autumno, hyeme, vere.

921. P. vinosa.

α, planiuscula

ββ, subteres

Elegantula species. Genuine tremellosa aquâ irrigata valde intumescit, dilutius tum incarnata. Var. *ββ, substantiâ* convenit et *colore:* sed *formâ* distat subcylindricâ, disco depresso concaviusculo. Utraque epixyla nobis in ramis *quercinis* aliisque projectis: *α*, passim haud rara (*Fuchssteine; Basalthügel; Sohlander Berg* in *Taxo* etc.): *ββ*, parcior (*Haide*). Vere, rarius autumno.

922. P. atrovirens.

Sicca apparet atra: humectata intumescit pellucensque virorem suum ostendit. Mox tota unicolor, mox disco pallente subcarneo instructa. Madens exsiccataque adulta formam obtinet hemisphaericam disco planam, scutellis *Lichenum* aequiparabilis: juniorem et nos sphaericam observavimus. Innascitur lignis putribus siccisve carie exesis passim haud infrequens (e. c. *Eulenwald; Moholzer Haide; Lehmgruben*). Martio, Aprili, Maio.

923. P. rubella.

Initio subglobosa, dein orbicularis applanata, 1½ — 2 lineas lata, satis crassa. *Substantia* semipellucida, attamen firmiuscula, carnoso-tremellosa: *color* e carneo rubellus. *Margo* veluti pilis lacinulatus, passim subflexuosus. Totus ceterum fungus laevis: exsiccatus duplo fere diminuitur, saturatiusque rubet. Aestivalem nos aliquoties legimus coelo pluvio in rejectamentis variis putribus suffocatis (*pone hortum Gambsianum*). Junio, Julio.

924. P. Betuli NOBIS. Tab.XII. f. 8.

P. carnoso - ceracea sessilis ramealis erumpens sparsa subgregariave crassa difformis sublobata convexo - plana alba, demum pallens.

Substantia molliuscula, sed irrigata non tumet, vix tremellosa dicenda. Huic itaque Sectioni ob *difformitatem* praesertim tremelloideam adscripsimus fungum nostrum, cui disponendo nec alius locus satis idoneus adesse videbatur: *formâ* videlicet gaudet Tremellae, *materie* Pezizae. Subrotundus ceterum vel oblongus, majusculus, trilinearis et ultra. Provenit ad ramos caesos antiquos putrescentes *Carpini Betuli*, quos semel tantum (*Anstaltshof*), sed ingenti ejus copiâ totos paene obtectos vidimus exeunte Novembri.

B. HELVELLOIDEAE.

925. P. abietina.

Color inter cinnamomeum et ferrugineum fere medius. *Stipes* tomento albo tenui obsitus. *Cupula* uncialis, integra, *nec* hinc dehiscens. Rarior nobis species, unicâ vice terrestris inventa in abietinis muscosis umbrosis (*Sohlander Berg*). Sub finem Septembris.

926. P. leporina.

α, auriformis

ββ, sacciformis

Extus circa basin tomento byssino niveo, more specierum plurimarum, saepe obducta. Provenit α, in sylvis umbrosis praesertim muscosis acerosis frondosisque (v. c. *Lehmgruben; Sproizer Hügel; Moholzer Haide; Sohlander Berg* etc.) autumno pluvio vulgaris, sereno rarissima. Inter hanc passim occurrit ββ, saccata (ventricoso - hemisphaerica), duplo triplove major, 3 — 3½ unc. lata, nunc laete ferruginea, nunc (vetustior) opaca

sordide olivaceo-fuliginosa, varie flexuosa. Notis hanc plurimis ad *P. grandem Synops.* p. 636. 637. accedere in aprico est: sed constanter hinc hians aeque ac α, dimidiatur, nec utique limites transituum inter utramque certi ulli prostant. — Septembri, Octobri.

927. P. onotica.

Pulchra species. *Color* pallidus, praesertim intus rosellus aut dilute violascens. *Basis* intus transversim plicata colliculosa. Pauca semel legimus specimina, inter quae tamen item unum erat monstrosum ventricoso-sacciforme ingens, 3 uncias diametro aequans. Inter folia putrida in populeto umbrosissimo (*Moholzer Haide*). Exeunte Junio.

928. P. aurantia.

Duobus tantum locis hactenus repertus fungus pulcherrimus: in cortice coriario (*Seer Lohgruben* frequens) inque umbrosis frondosis (in acumine montis *Löbaviensis*). Septembri, Octobri.

929. P. umbrina.

Staturâ variat et formâ: nonnumquam eximie irregularis, valde contorta, 3—4 unc. magna. Extus plerumque dilutior. In arenosis (saepe nudis) apricis umbrosisque, carbonariis etc. passim frequens. Aestate, autumno.

930. P. alutacea.

α, *communis*
ββ, *vesiculosa*
γγ, *undulata*

Varr. omnes tres extus furfure tenui albido conspersae. In α, exemplis minoribus mixta majora nonnulla, plus minus difformia, basi intus rugosa, extus valde lacunosa: haec gradatim transeunt in ββ, monstrosam, saccatam, margine varie incisam, intus colliculoso-costatam saepe pustulato-vesiculosam, extus farinosam, quando-

que giganteam 4—6uncialem, hymenio a receptaculo facillime discedente. Esse hanc *P. vesiculosam Sowerb.* (*Synops.* p. 641) vix dubitamus: sed diagnosis firma inter eam et α, intercedit nulla. — Crescit α, praesertim *terrestris* aëre pluvio passim frequens: ββ, utplurimum *fimetaria* (*Cane; Jänkendorf* etc.) post imbres. Utraque vere et autumno. γγ, minor firmior crassior regularis, extus aequaliter undulata, semel *epigaea* lecta in muscosis (*Moholzer Haide*). Finiente Martio.

931. P. badia.

α, terrestris

Regularior praecedentibus, uncialis fere, margine aequaliter involuta, extus olivascens albido-pruinata, parum lacunosa. Parcior in terrestribus subumbrosis, adustis etc. hinc illinc (v. c. *Seer Lohgruben; *Schöpswiesen*) tempestate humente. Sero autumno primoque vere.

932. P. varia *Hedw.*

ββ, pallens

Convenit nostra cum *Hedwigianâ* (*Musc. frond.* II. p. 22. tab. VI. D.) staturâ, formâ, stipite (in nostrâ tamen magis ac pluries) sulcato-lacunoso, substantiâ cartilagineâ (tenui), tempore, quadantenus et loco. Differt colore toto albo-stramineo, stipite constante ac paullo longiore, furfure quodam substrigoso praesertim circummarginali dein evanescente, margine subcrenato demum inciso. An separanda? ita sane videtur. An ad *P. Rapulam* vel *ceream* translocanda? vix putarimus. Ab insectis avide conquiritur. Nascitur nunc *epigaea* in ambulacris hortorum nudis (v. c. *Seer Schloſsgarten*) nunc *epixyla* (extus magis farinosa — *Eulenwald*): ter quaterve inventa. Junio: iterum Septembri.

933. P. violacea.

α, violacea

ββ, purpurascens

Color in *α*, amoene violaceus, extus dilutior: *cupula* adulta depressa, saepe irregularis. Occurrit haec terrestris nobis hinc inde, locis sylvaticis praesertim adustis (v. c. *Geisterweg; Polsbruch*). Var. *ββ*, truncigena, substipitata, bilinearis, dilute purpurea — unicâ vice reperta (*Moholzer Haide*). Utraque Junio.

934. P. depressa.

Est nostra quasi media inter *α*, cujus habet colorem rufo - vel fusco - carneum, vix in senioribus in cinnamomeum vergentem — et *β*, quâcum ceterum omni modo congruit. Et profecto assentiendum videtur claro viro *Persoonio*, *hanc* aetatem vetustiorem (in quâ *discus* in nostris corrugatur) exhibere *illius*. Suborbicularis vel oblonga, arcte aggregata, inde nonnumquam difformis. *Diameter* 4 — 6 linearum. *Margo* non involutus. Subtus pallidior est, versus radicem albido - villosa. In argillâ calce obductâ, corruptâ, deciduâ, semel cum *Liceâ bicolore* (*Brüdergarten*) frequens inventa, imbribus diuturnis praeviis: medio Junio.

Tab. V. f. 2. 935. P. fusco - cana NOBIS.

P. subtruncalis stipitata, extus fusco - nigricans laevis, intus ex incano olivascens, cupulâ latâ, stipite breviusculo compresso plicato sublacunoso.

Fungus vernalis, nunc terrestris ad radices truncorum, nunc truncigenus. *Stipes* constans, $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ unc. longus, una cum cupulae basi exteriore rugoso - lacunosus. *Cupula* parum excavata, subphialaeformis, subflexuosa, margine interdum crenata, $\frac{1}{2}$ — 1 (rarius ad 2) unc. lata: extus cum stipite laevis, imo glabella, e castaneo fuscove nigrescens: intus nunc prorsus incana,

nunc in olivaceum plus minus vergens. Incolit solitaria vel subcaespitosa sylvas *abietinas* muscosas umbrosas (*Moholzer Haide* passim) infrequens: copiose fumans Martio, Aprili.

936. P. sulcata.

Exempla duo invenimus fungi distinctissimi nobisque rarissimi terrestria, descriptione paullo minora: in trunco vetusto fagineo terrâ afflato (*Eulenwald*). Postimo Julio.

937. P. tuberosa.

α, communis

ββ, strobilina

Innascitur *α*, corpusculis variis, radicum fragmentis, petiolis etc. praesertim vel amentis maribus projectis semiputribus *Alni*, *Betulae*, *Populi* — vel tuberibus sclerotiformibus intus albo-farctis (*Typhularum* ad instar) in nemorosis umbrosissimis subhumentibus ubique fere vulgaris Martio, Aprili. *Stipes* primo mediocris, firmulus, dein plerumque elongatus, deorsum praesertim valde gracilis et saepe flexuosus. *Cupula* fragilis, satis tenuis, semipellucens, unde species haec haud adeo immerito in Sectione nostrâ collocata videtur: aetate juniore profundius concava, subventricoso-campanulata, extus spadicea, dein dilatata phialaeformis tota pallens. Var. *ββ*, distinguitur *stipite* breviore robustiore stricto, una cum *cupulâ* exterâ farinaceo. Incolit haec strobilos *Pinorum Abietis* et *piceae* (*Eulenwald*) rarior. Maio.

938. P. macropus.

α, communis

Stipes plus minus verrucosus, saepe lacunosus: *cupula* demum expallida. In sylvis variis hinc inde, solitaria, sed non rara (*Monplaisir; Haide; Obstberg; Schöpswiesen; Löbauer Berg* etc.). Augusto et seqq.

939. P. crenata.

Rarior in terris nostris, locis umbrosis frondosis epigaea (*Jänkendorf; Löbauer Berg*). Augusto, Septembri.

Tab. IV. f. a. 940. P. carbonaria NOBIS.

P. stipitata mediocris ex ochreo rufescens, cupulâ ventricosâ, margine farinoso crenato.

Margine congruit cum antecedente: sed stipite, colore, reliquisque characteribus ad unum fere omnibus satis superque distat. *Statura* variabilis: cupulae diameter a 3 ad 6 lineas et paullo ultra ludit. *Stipes* constans, mox brevis, mox modicus, cupulae latitudinem aequans vel aliquantum superans, tenuis, saepe subarcuatus, concolor vel paullo dilutior. *Cupula* primo subgloboso-campanulata, sursum subconnivens, intus vividius picta fere miniata; dein patentior et unicolor: extus, margine excepto albido-farinaceo (distincte et aequaliter crenato) laevis: ceterum ob *substantiam* tenuem fragilem (carnoso-membranaceam subpellucidam) haud raro varie incisa. Occupat satis frequens loca adusta sylvatica, carbonibus vetustioribus innata (v. c. *Quizdorf; verlornes Wasser; Tränke; Polsbruch* ingens, uncialis etc.). Autumno, vere.

941. P. versiformis.

ββ, livida

Differt nostra *colore* e livido purpurascente: sed formae lusibus, staturâ, stipite brevi convenit. Exemplaria alia compressa subcontorta concava, alia convexo-plana subundulata, alia cupularia aequaliora etc. *Diameter* 3—5 linearum. Rarior nobis species semel hactenus observata in squamis putrescentibus madidis strobilorum *Abietis*, secus rivum (*Eulenwald*) medio Maio.

942. P. fascicularis NOBIS. Tab. XII f. 2.

P. fascicularis sessilis minor opaca, cupulis tenuibus patentibus subhemisphaerico - difformibus rugosis.

α, populina

β, salicina

Substantiâ, situ, magnitudine — ad *P. cervinam* (*Synops.* p. 647.) accedere videtur: sed forma colorque, ne conjungeremus, interdixere. Exempla in *α*, 6 — 12 fere arcte caespitosa, fasciculata. *Cupulae* 2 — 4 lin. latae, patulae, admodum irregulares, intus valde plicatae vel rugosae sordide olivaceae, extus nigrae. Innascitur haec corticibus *Populi tremulae* subconsumtis putredine, hinc inde (v. c. *Moholzer Haide; Eulenwald*): vere. Var. *β*, erumpens, membranaceo - subcoriacea, tota nigricans, parcius fascicularis, subsolitaria — aliquoties lecta in ramis *Salicis albae* (*Ullersdorf*) et *Fraxini* (*Cunnersdorf*) Novembri.

943. P. Digitalis NOBIS. Tab. V. f. 1.

P. stipitata tenuis submembranacea, cupulâ pendulâ digitaliformi basi obliquo - gibbiusculâ, intus ex albido caesiâ, extus cum stipite brevi umbrinâ.

Substantia membranacea fere, sicciuscula, subpapyracea, parum carnosa: margo inde passim incisus. Fungi sparsi, situ *verticali* penduli, *horizontali* decumbentes aut saltem obliqui. *Stipes* 1 — 2 lin. longus, incurvus, tenuiusculus, in cupulam transfluens, umbrinus aut subnigricans. *Cupula* semunciam fere alta in majoribus, 3 — 4 lin. lata, margine erecto (rarius demum subpatente) exacte digitaliformis; basi obliquâ, hinc plus minus ventricosâ, nonnumquam versus stipitem sublacunosâ: intus albida, demum caesia, subviolascens aut subgrisescens: extus umbrina, deorsum saepe subnigrescens, sursum dilutior, interdum margine albicans, nunc laevis,

nunc fibrillis parcis appressis parallelis nigris longitudinaliter striata. Basis intus in nonnullis subrugosa. E cupulis *farinam* hinc inde copiosam albam delapsam observavimus, quae per vitra augentissima lustrata *sporulas?* *nudas* subglobosas medio passim striatas, nec *thecas octosporas* solitas monstravit: an ab hymenio corrupto jamjamque dissolvendo oriunda? an fungus a *Pezizarum* genere removendus? Speciem notabilem bis in *Pino piceâ* invenimus, et semel quidem arborem integram excelsam agmine longo latoque occupantem (*Arnsdorfer Berge; Sohlander Berg*). Sept. Oct.

Tab. I. f. 6. 944. P. membranacea NOBIS.

P. stipitata membranacea parva, cupulâ erectâ campanulatâ intus rugoso-venosâ, demum multifido-lacerâ subrevolutâ.

α, *discolor*
β, *albida*
γ, *flavida*

An hûc? an *Meruliis* propior? *Statura* 2—3 linearum in perfectis. *Cupula* in α, intus albida, extus cum *stipite* tenui brevi cinereo-nigricans, fibrillis subtilissimis densis appressis nigris (per lentem) striata. β, γ, totae unicolores laeves, paullo majores, stipite crassiore subobconicae, minus lacerae: β, ex albo glaucescens: γ, dilute amoeneque flava. Crescunt varr. omnes tres ad stipites virgultave semiputria humentia acervata tecta, praesertim *Vitem* (*Heinrichsruh; Astracan; Jänkendorf; Sohlander Berg* etc.). A Junio in Novembrem.

C. PEZIZOIDEAE.

a) *Hirtae.*

945. P. hemisphaerica.

Gregaria vel solitaria, terrestris, inter muscos, ad radi-

ces Quercuum etc. passim frequens (v. c. *Obstberg; Schöpswiesen; Edelknabe*). Aestate, autumno, in hyemem usque.

946. P. brunnea NOBIS. Tab IX. f. 8.

P. gregaria subcaespitosa majuscula brunnea, e concavo depresso-plana subflexuosa, extus pilis minutis fasciculatis hirta.

Congruit cum antecedente pilorum fasciculis sparsis: sed affatim discernitur formâ, colore, staturâ. Junior subhemisphaerico-concava, adulta constanter margine inflexo depresso-plana subirregularis evadit: tota semipellucens, nitidula, unicolor (praeter pilorum apices in nonnullis albentes), eleganter brunnea. *Diameter* 1—3 linearum. Greges hujus densos longe lateque effusos aliquoties legimus in *carbonariis* sylvaticis humidis vetustis, Pezizarum in universum ditissimis, (*Polsbruch; Quizdorfer Busch*) Jun. Sept.

947. P. rhizopus NOBIS. Tab. I. f. 4.

P. arcte caespitosa subconnata, cupulis e globoso dein hemisphaericis intus nigris, extus lanato-hirtis rubigine conspersis, stipitibus curtis crassis, capillitio radiciformi longo undique tectis.

Species perquam memorabilis, excentrica. *Magnitudo* pisi fere vulgaris, aut paullo amplior. *Substantia* crassa, firma, carnosa, succulenta, cinerea. *Caespites* e 3—6 individuis compositi, arcti, exemplis vicinis haud raro ad latera coalitis: rarius solitarius occurrit fungus. *Tegumentum* cupulam extus obducens e bysso filamentosâ nigrâ, more prorsus speciei sequentis arcte compexâ, conflatum, rarius pilis exstantibus setosis atris hirtum, utplurimum lanâ quâdam brevi laxiusculâ flocco-so-furfuraceâ laete rubiginosâ nunc densiore (ut nigredo prorsus delitescat), nunc rariore, demum plus

minus evanidâ, adspersum. Continua tegumento isti stipitem circumcirca obtegit *juba* atra, fascicularis sed plerumque parum compexa, saepe longissima, pro diverso fungi situ nunc pendula, nunc ligno incumbens ac subirrepens, radiculiformis: intra quam aegre extricabilis penitus absconditur *stipes* crassus, subobconicus, cum vicinis interdum confluens, brevis vel breviusculus, fere semper inclinatus totusve decumbens. *Cupula* in junioribus e globoso obcordata, cavitate internâ exiguâ, margine lato inflexo minus magisve depresso, ore parvulo (margine veluti proprio quodam instructo) orbiculari aut suboblongo: quo sensim dein dehiscente demumque toto patulo forma per ventricoso-hemisphaericam in apertiorem semigloboso-phialoideam abit, margine illo proprio latiusculo prominulo, rubigine communi extus consperso, plus minus profunde aequaliterque jam crenato, persistente. *Color* intus primo ater lucidus, e nigro tandem olivascit. Varietas quaedam rarius occurrit e fissuris truncorum promergens, per loci angustias elongata teres. Innascitur fungus noster truncis vetustis, radicibus terrâ denudatis, cortici muscoso quisquiliis tecto — arborum praesertim frondosarum duriorum, *Quercûs*, *Fagi* etc. exoletarum putrescentium: in sylvaticis vel apriciusculis passim non infrequens (e. g. *Moholzer Haide; Eulenwald; Herrnhut*). Tantum non perennis.

948. P. Nigrella.

Intus atra laevis, primo glaberrima lucida: extus vestita *tegumento* fusco-nigro firmo crassiusculo, e filis byssinis dense intertextis compacto, a *cupulâ* ipsâ per encheiresin haud adeo difficilem solubili. *Statura formaque* (orbicularis vel oblonga), quales indicavit b. *Wulfen:* interdum tamen exempla occurrunt semuncialia,

imo subuncialia. Frequens in muscosis nudisve terrestris, rarius truncigena, gregaria, saepe caespitosa (v. c. *Schwesternplantage; Sproizer Hügel; Schöpswiesen; Haide; Herrnhut; Königsholz*). Sero autumno, vere.

949. P. **strigosa.**

α, strigosa

β, hispidula

Var. *α*, terrestris rarior, *Herrnhutio* allata Septembri. *β*, intus nitida coerulescente - cinerea, ad truncos ramosque emortuos *Sambuci racemosae* et *nigrae* (*Haide; Cane; Cacus*) passim obvia Martio, Aprili.

950. P. **sulphurea.**

β, albo - lutea

Stipes brevissimus vel nullus. Nostra in acubus *Pini sylvestris* udis dejectis putrescentibus (*Büttnerwiese; verlornes Wasser*) hactenus inventa. Maio, Junio.

951. P. **flavo - fuliginea** NOBIS. Tab. XI. f. 7.

P. sessilis dilatata planiuscula subflexuosa semipellucens, extus strigoso - hirta laete sulphurea, intus olivaceo-fuliginea.

Pulchella species ab antecedente formâ, colore, substantiâ (tenerâ, ad subtremellosam accedente) magis recedit, quam ut conjungi queat. Gregaria, nitidula, extus vividissime flavo - sulphurea: initio cupularis dein varie flexuosa applanatur, 1 — 2 lin. magna, suborbicularis, oblonga etc. Ad lignorum frusta, folia etc. madida putrida dejecta in paludosis sylvarum (*Moholzer Haide* passim). Autumno.

952. P. **flammea** NOBIS. Tab. I. f. 6.

P. sparsa sessilis subglobosa strigoso - villosa unicolor flammeo - rubiginosa.

Primo tota clausa globosa: dein subpatens cupula-

ris hemisphaerica. *Forma* regularis: *diameter* 1 — 1½ lin. aequans. *Substantia* nigra: sed *hymenium* tegumento prorsus concolor vividissime rubiginosum, flammeum. *Margo* nonnumquam crenatus. Rara species ad ligna vetusta exsiccata durissima *carpinea* (*Mayblumenbusch*) bis terve lecta. Autumno.

Tab. XI. f. 4. 953. P. rufo-olivacea NOBIS.

P. subsolitaria sessilis orbicularis applanata, extus villoso-pulverulenta sordide rufo-ferruginea, disco virescente-olivaceo.

Diameter 1 — 3 linearum: *forma* exacte circularis plerumque. *Substantia* carnoso-ceracea, molliuscula, sed non humida. *Discus* patens planus, recens e viridi olivaceus, vetustus et exoletus paene niger. In ramis emortuis suffocatis *Rubi fruticosi* in rejectamentis hortensibus nostris, infrequens. Aestate pluviâ: Junio, Julio.

954. P. Atropae.

Minuta, vix stipitata, obconica vel subcylindrica, pilis densis erectis badiis, ejusdem prorsus coloris, qui est in setis *P. stercoreae:* intus dilutior pallens. Nova varietas esse videtur, unicâ tantum vice inventa in stipulis semiputribus suffocatis tecti straminei vetusti (*Codersdorf*). — Medio Julio.

955. P. scutellata.

Color pulcherrime ruber. Constanter epixyla ad ligna ramosque arborum frondosarum dejectos madidos, haud raro intra ipsissimam aquam. In sylvaticis hinc inde (v. c. *Moholzer Haide; Lehmgruben; Königshayner Berge; Ullersdorf*). Aestate et autumno.

956. P. stercorea.

In statu vegeto fulva: concavo-planiuscula, sed non ita, ut praecedens, applanata discoidea. *Setae* praeser-

tim marginem occupant, badiae, longiusculae, erectae. Praeter fimum vaccinum etc., quem copiose vere humido colere solet, solo etiam pingui stercoroso hortensi vel sylvatico, rarius truncis putridissimis, dense saepe aggregata innascitur autumnalis et inprimis vernalis.

957. P. theleboloides NOBIS. Tab. XII f. 4.
P. sparsa subgregariave sessilis e sphaerico dein dolioliformis albida, ore concavo sordide lutescente: extus setis concoloribus suberectis hispida.

Affinis quidem *P. stercoreae* et *papillatae*, staturâ inter utramque media: sed ob formam coloremque specie tamen propriâ digna visa fuit. *Formâ* Thelebolis simillima est, verum fructificatione gaudet Pezizarum: *thecas* ejus *octosporas*, eâ prorsus figurâ instructas, quam ad antecedentem delineavit b. *Hedwig*, microscôpii compositi ope conspeximus. Primordialis tota albida sphaerico-paraboloidea clausa: *setae* minus densae quam in antecedentibus, initio conniventes demum erectae, rigidae, longiusculae, pallidae. *Discus* non papillatus: *statura* mediocris: diameter 1 — 2 linearum: altitudo eadem fere. Varietas adest *colore* toto sordide luteo-ochrascente. Nascitur ad terram pinguem, in stercoratis, inter sordes hortorum (*Jänkendorf; Diehse; Herrnhut*) Maio, Junio.

958. P. papillata.
Aurantio-rubella, minutule papillata. *Setae* longae, erectiusculae, subconcolores. In fimo vaccino et equino (*Seer Allee* etc.) saepe copiosissime. Hyeme, vere.

959. P. cerina.
Color omnino cerinus: *discus* in nostris concolor fere. *Forma* passim subturbinata. Rarior ad ligna putria *Populi tremulae* (*Haide*) Aprili.

960. P. corticalis.

Cf. *Obss. mycoll.* I. 28. 112. Recens, dum humet, hemisphaerica est, patens, extus intusque e griseo rufescit: exsiccata clauditur inque colorem cinereo-albidum abit. Ad varios cortices frequens: perennis fere.

961. P. granuliformis.

Nivea, pusilla, valde hirta, sparsa vel aggregata: in series varias quandoque subdigesta. Etiam vigens ac humida formam servat regularem subglobosam, ore semipatulo connivente: extus et intus prorsus unicolor. Sicca sphaerica est totaque clausa. Nostra corticalis est aut lignaria, hinc inde (*Holzplätze; Moholzer Haide* etc.) non infrequens. Perennis.

T. VIII. f. 4. 962. P. albo-violascens NOBIS.

P. gregaria conferta ex hemisphaerico applanata sessilis orbicularis flexuosaque, intus caesia vel violascens, extus dense villoso-hirta candida.

Rarius solitaria; plerumque valde congesta passim subconfluens. Junior clausa subglobosa: adulta patula disco plana, 1 — 2½ lin. lata; saepe monstrosa, margine valde flexuosa, *Pezizulas* minores (more aliarum nonnullarum) intus fovens etc. *Color* disci nunc glaucus, coerulescens, nunc aquose ac sordide violascens, Chocolatae dilutioris ad instar. *Cupula* rarius substipitata. Ad cortices ramosque vetustos exesos varios, *Ulmi, Vitis, Sambuci nigrae* etc. (*Lehmgruben; Jänkendorf*) non rara. Vere, autumno.

Tab. VII f. 5. 963. P. leucotricha NOBIS.

P. majuscula sessilis hemisphaerico-concava lactea, extus intricato-strigosa candida.

Initio globosa clausa: dein hemisphaerica patens. Regularis; *diameter* 3 — 4 linearum. *Color* disci ex albo subglaucescit. *Setae* strigosae longiusculae intri-

catae. *Terrestrem* semel legimus in umbris humidis (*Haide*) Sept.

964. P. coccinea.

Fungus omnium pulcherrimus, subuncialis, rarus in terris nostris, locis umbrosissimis nemorosis (*Moholzer Haide*) ad ramos dejectos varios ter quaterve inventus Aprili, Maio.

965. P. pitya.

α, corticalis

ββ, epiphylla

Var. *α*, in cortice trunci crescens iconi ac descriptioni *Persoonianae* exacte respondet. *ββ*, ramulis tenuibus acubusque innata notis nonnullis discrepat. *Discus* in hâc primo vividissime aurantius ac subconcavus postea exflavescit ac prorsus explanatur, demum dilute flavus in centro umbilicum saepe acquirit: *diameter* inter 1 — 6 — 8 lineas, imo ultra, variat. *Stipes* valde brevis crassus, una cum exteriore cupulae facie lanâ mollissimâ densissimâ niveâ tandem subevanidâ obductus: saepe vix ullus. Constanter nobis nonnisi in caudicibus, ramis acubusque languidis emortuisve *Pini piceae* dejectis (v. c. *Haide; Eulenwald* abunde, sylvam egregie exhilarans; *Kämpfenberg; Arnsdorfer Berge; Herrnhut* etc.) occurrit species praepulchra ac frequens. Primordia ejus sero jam autumno obvia: sed vigoris tempus primum ver, inter ipsam nivem deliquescentem. Martio, Aprili.

966. P. pulchella.

α, vulgaris

ββ, flavo-coccinea

Vulgaris est *α*, in ramis variis, inprimis *quercinis*, ubique fere Martio, Aprili, Maio: rarior autumno. *ββ*, tota sessilis, intus eleganter coccinea, extus amoene

sulphurea dense villosa, villo subpulverulento (junior clausa punctiformis dilutior) semel in cortice abietino dejecto (*hohe Linde*) inventa sparsa. Decembri.

967. P. calycina.

α, communis

ββ, intermedia

Species media intercedit inter priorem et sequentem: propior *illi* colore, *huic* formâ: staturâ superat utramque. Var. *α*, disco *ochraceo* — *ββ*, (ad *P. virgineam* transiens) *pallido* distinguitur. Mixtae crescunt ambae ad ligna, cortices, truncos *quercinos*, *populneos* etc. passim haud rarae (v. c. *Moholzer Haide*; *Eulenwald*; *Herrnhut*) vernales nobis: Aprili, Maio.

968. P. virginea.

α, vulgaris

β, carpophila

Var. *α*, in truncis, ramis, lignis nudis variis arefactis vel putrescentibus ubique pervulgata: perennis. Nec *β*, rara, non solum in pericarpiis fagineis siccis (*Eulenwald* copiose), verum et in lignorum frustis semiputribus hinc inde (*Moholzer Haide* etc.) — parvula, tenuis, ore clauso subobconica, villo conferto longiusculo connivente barbata. Vere, aestate.

969. P. ciliaris.

Ciliis longis, sparsis, plus minus patulis ab antecedente sufficienter differt. *Cupula* recens ac humida aperta. Folia incolit decidua exoleta varia, sed inprimis *quercina*, passim (*Seer Busch*; *Tränke*; etc.). Autumno, vere.

970. P. patula.

Subgregaria, minuta. Rara in regionibus nostris, unicâ tantum vice lecta in foliis *quercinis* putredine exesis (*Eulenwald*) exeunte Octobri.

971. P. fuscescens.

Cupula aëre sicco globosa clausa, humido hemisphaerica semipatula: extus praesertim circa oris marginem pilis badiis obsita. Foliis innascitur *fagineis* deciduis, item infrequens, bis terve (*Eulenwald; Herrnhut*) reperta Aprili, Maio.

972. P. sericea NOBIS. Tab. III. f. 7.

P. stipitata majuscula subgregaria cupularis, extus villo viridi circa marginem albicante sericeo-nitente adpresso tecta, intus ex ochreo ferruginea.

Species ex elegantissimis. *Color* initio totus unicolor, pulchre viridis, aeruginosus sive psittacinus, extus profundior subfuscescens: sed in adultis in ochraceo-ferrugineum, nonnumquam sordide olivascentem, intus mutatur, villorumque simul apices unà cum cupulae margine introflexi exalbescunt, nitore quodam velut holosericeo insignes. *Stipes* brevis, firmus, crassus vel crassiusculus. *Cupula* hemisphaerico-concava semipatula, demum tota hians, 1 — 2 — 3 lineas lata. In truncis lignisque vetustis nudis duris (*fagineis?*) viredine longe lateque tinctis, locis sylvaticis umbrosis madidis (*Eulenwald* secus rivum) infrequens. Aestate et autumno.

973. P. villosa.

α, candida

β, incarnata

Var. *α*, satis frequens passim provenit ad caules herbaceos sicoos aut semiputres, folia decidua, stipites *Agaricorum* putrefactorum, *Isariae agaricinae* comes (v. c. *See; Thiemendorf; Moholzer Haide; Sohlander Berg*). Vere, aestate, autumno. *β*, nobis hactenus nonnisi in lignis deciduis putrescentibus passim (*Ullersdorf; Haide*) visa, cupulis plerumque clausis: Martio, Aprili.

974. P. hyalina.

α, albida

ββ, candida

Ab initio globosa subclausa: demum haud raro applanata marginata flexuosa; sordide albens *α*, candidissima *ββ*,: convenit utraque *substantiâ* tenui humidâ vitreo-pellucidâ. *α*, in *lignis* putridis ubique fere vulgaris; perennis, hyeme cellaris. *ββ*, ad *folia* madida decidua in paludosis sylvarum (*Schöpswiesen*; *Haide*) frequens. Autumno, vere.

975. P. clandestina.

α, connivens

ββ, patula

In *α*, *tomentum* cinereum laxe adhaeret fungillo ceteroquin subumbrino: *stipes* saepe dilutior sordide lutescens: *statura* variabilis. Freqüens haec gregatim occupat caules, stipites, ramos humi jacentes siccos putridosve varios, v. c. *Solani tuberosi*, *Periclymeni*, *Rubi fruticosi* et *idaei* — rarius *folia* faginea dejecta (*Anstaltsgarten*; *Lehmgruben*; *Eulenwald*; *Cunnersdorf* etc.). Vere et aestate. Locis nativis iisdem passim inter rejectamenta hortorum aut in sylvaticis (v. c. *Sohlander Berg*) crescit *ββ*, specie forsitan sejungenda: *cupulis* patulis planiusculis planisve discoideis intus albidis, extus cum *stipite* tomento villoso cinereo-umbrino obsitis. Aestate, autumno.

976. P. anomala.

α, vulgaris

β, conglomerata

γ, poriaeformis

δ, socialis

Vulgatissima ubique *α*, in lignis ramisque omnis generis; nunc subglobosa, nunc turbinata: saepe valde soleniformis.

Exempla reliquis mixta quandoque occurrunt monstrosa, maxima, admodum difformia. *Colore* variat sordide lutescente, cervino, ferrugineo, nigricante. Parciores adsunt β, γ, δ, (in δ, *cupulae* aliae cylindricae, aliae subsphaericae) ad ramos dejectos etc. (*Lehmgruben; hohe Linde; Schöpswiesen; Moholzer Haide*). Autumno, hyeme, vere.

977. P. Rosae.

Saepe valde aggregata, totum truncum obducens, sicca corrugata ac difformis. *Cupulae* extus primo valde tomentosae, tomento sordide spadiceo — quales etiam describit b. *Tode*, quem tamen *subiculi* concoloris non meminisse omnino mirandum est. In *Rosâ caninâ* (*Thiemendorf; Diehse*) vulgaris: in *R. centifoliâ* rarior. Perennis.

978. P. porioides NOBIS. Tab. VI. f. 5.

P. tota nivea, cupulis hemisphaericis glabris dense congestis, margine sparsis, membranae tomentosae candidae margine byssinae passim fibrilloso-fimbriatae semi-immersis.

Cavendum, ne cum *Poriâ byssinâ Schrad. spic.* pag. 172. 173. tab. 3, 1. confundatur, cujus iconi primo obtutu haud absimilis est: genuinam enim profecto sistit Pezizam. *Cupulae* minutae, regularissimae, eumorphae, carnosae, exacte hemisphaericae (nullo modo nec subtremellosae nec applanatae, ut vel inde a *P. caesiâ Synops.* p. 657. distare nostram palam sit) nitidulae, albae, dein subpallentes: extus filis byssinis membranae communi passim affixae sunt, parte superiore plus minus prominente glabellâ. *Membrana* candidissima, tenuis, sed tamen firmiuscula: *margo* nunc subaequalis, nunc fimbriato-laciniatus. Legimus aliquoties speciem elegantulam raramque in corticibus lignisque *abiegnis* humi

jacentibus suffocatis semiputribus (*Moholzer Haide* passim) Junio, Septembri.

979. P. fusca.

α, vulgaris

ββ, major

Tomenti fusci *crusta* satis crassa, aliquot saepe uncias, imo spithamam et ultra, longa, ramum semicingens. Huic inspersae *cupulae* cinereae parvae tenellae hemisphaericae, filis saepe extus byssinis concoloribus parallelis longis undique tomento affixae. Ad ramos deciduos *alneos*, *populneos*, *coryleos* etc. in umbrosis vulgata. *ββ*, *cupulis* triplo majoribus difformibus sublobatis, in humido nigricantibus, parcior ad ligna putria *abiegna* (*Haide*). Utraque praesertim verna.

980. P. sanguinea.

Densius laxiusve aggregata: modo tomento manifesto insidens, modo ligno sanguine quasi tincto inspersa, modo circa ipsam tantum radicem sanguinea. *Cupula* primordialis dilutior fuscella semipellucens, sanguine circumtincta. Ad ligna nuda fissa *populnea* etc. passim frequens. Perennis.

Tab. XI. f. 8. 981. P. Lonicerae NOBIS.

P. minuta sparsa sessilis subbyssiseda subglobosa ex albo sensim fusco-nigra, ore connivente crenato.

Primordialis tota alba: dein paullatim (et primo quidem circa marginem, basi diutius colorem servante) fuscescit: tandem tota fusco-nigra evadit, intus tamen dilutior persistens, humectataque colorem aquose fuscellum recuperans. *Cupula* extus in aliis hirtiuscula, hirsutie in *tomentum* basin cingens lignoque irrepens byssino-filamentosum delicatum niveum, dein pallens, demum obliteratum, descendente: in aliis paene laevis, vix ac ne vix quidem byssiseda. Sicca clausa est et glo-

bosa: humens ore semiaperto ventricoso-hemisphaerica. *Margo* constanter late et aequaliter crenatus. In caudicibus ramisque siccis *Lonicerae Periclymeni* (*Anstaltsgarten*) bis terve observata Aprili, Maio.

982. P. amorpha.

ββ, pruinata

Nostra anne hûc pertineat? dubii haeremus. *Substantia* dura, coriacea. *Cupulae* majusculae (2—4 linearum), orbiculares effusaeque, orbiculariter aut sublongitudinaliter aut indeterminate confluentes: primo sessiles apparent, extus tomento denso albido vestitae; demum *stipitem* quemdam brevissimum crassiusculum sordide ochreum ostendunt, tomento illo jam fere toto evanido. *Discus* veluti per papillarum rudimenta colliculosus vel undulatus, *pruinâ* tenui cinereâ dense constratus est: quâ in fungo madefacto ablutâ color verus rufo-brunneus in conspectum illico venit. Totus fungorum grex *Corticium* quoddam rimoso-lacerum haud inepte aemulatur. Ad *Populi tremulae* cortices siccos vetustos (*Mayblumenbusch*) iteratis vicibus. Aprili.

OBS. Civium ambiguorum in genere locupletissimo haud exigua prostat cohors: e quibus memoratu digniores ad calcem Sectionum suarum enumeramus:

a. *P. rufiberbis.* P. gregaria sessilis, tomento spadiceo insidens, intus ex albido carnea, extus barbâ laete rufâ hirsuta. *Cupulae* concavo-planiusculae, subdifformes, subconfluentes: *diameter* lineae unius. In ligno duro humi jacente (*Mayblumenbusch*) Martio.

b. *P. rufo-spadicea.* P. extus hirta, sordide rufo-spadicea, intus fuliginoso-nigricans; stipite sursum incrassato sublacunoso, cupulâ turbinatâ margine inflexâ. Majuscula: 4 lin. fere longa, 2 superne lata. Ad truncum *abiegnum* (*Haide*) rarissima. Exeunte Septembri.

c. *P. acuum.* P. minutissima stipitata extus hirtiuscula alba, dein sanguinea; cupulâ planiusculâ (parum concavâ). Sparsa vel subconferta. Ad tactum cruentari videtur. *Stipes* tenuis, varius, in plurimis satis longus. Ad acûs *pineas* in paludosissimis (*hohe Linde*) Aprili.

d. *P. virescens.* P. minutissima sessilis regularis hemisphaerica viridula, extus furfuraceo-villulosa. Subgregaria in ligno putrescente (*hohe Linde*). Exeunte Augusto.

b) *Glabrae.*

aa) Stipitatae.

983. P. bolaris.

Variat *staturâ*, ac longitudine *stipitis*, modo modici, modo brevis, modo vix ullius. *Cupula* semiglobosa fere, margine plerumque integra, extus cum stipite nonnunquam pubescens aut subvillosa. Ad ramos deciduos siccos arborum frondosarum, *Coryli*, *Alni* etc. passim frequens (v. c. *Lehmgruben; Ullersdorf; Schöpswiesen; Moholzer Haide*) Oct. Nov. Dec.

Tab. II. 984. P. elatina NOBIS.

f. 3. *P. stipitata firma viridis extus nigro-striata, stipite crasso mediocri in cupulam concavam intumescente, margine lato inflexo.*

Affinis omnino antecedenti: attamen colore, loco, tempore affatim discrepare visa. Obconica, firma, crassiuscula: 2—3 lin. alta, 3—4 lata. Extus subparallele nigro-striata, subfibrillosa vel venoso-pilosa, margine interdum subserrata. Initio praesertim intus fusco-virens: dein tota viridis: disco demum explanato sordide lutescens vel olivascens. *Stipes* crassus vel crassiusculus, nonnunquam sublongus, ut fungus altior tum

sit quam latior. Ad ramos emortuos humi jacentes *Pini piceae*, nec alios hucusque, satis frequens (*Eulenwald*). Martio, Aprili, Maio.

985. P. Buccina.

Color in junioribus flavus, in adultis saturate aureus. *Stipes* profunde ac parallele striatus, imo in speciminibus nonnullis subundulatim sulcato-costatus. *Cupulae* etiam basis interior quandoque striato-plicata. *Situs* subcaespitosus: exempla 2—3 haud raro basi connata. Ligna *Pinorum* passim (*Moholzer Haide; Eulenwald*) incolit species pulchra et rariuscula: vere, aestate, autumno.

986. P. fructigena.

α, communis

β, fungoidaster

Variat *α*, *colore* albido, luteo, rufescente — pro aetatis umbrarumque, quibus fruitur, gradationibus. *Stipes* nonnumquam basi obscurior. Nunc in glandibus quercinis, nunc ad virgulta ramosque locis humidis projectos (*faule Brücken; hohe Linde; Schöpswiesen; Tränke* etc.) haud infrequens: vere et autumno. *β*, quae mera nobis hujus varietas videtur, rarior occurrit (v. c. *Polsbruch*) vere et aestate.

987. P. serotina.

ββ, verna

Gregaria conferta, *cupulâ* convexo-plana. Hisce notis ac tempore locoque natali discrepat a var. *Persoonianâ:* reliqua conveniunt. *Stipes* in individuis trecentis et ultra, quae examinavimus, constanter praesens, brevis vel mediocris (2—3 lin. plerumque longus), firmus, crassiusculus, concolor. *Cupula* item constanter convexo-plana, in adultis aeque ac junioribus, 2—4 lin. lata. Inde a *P. citrinâ* et *lenticulari* affatim differre eam lique-

bat. Nascitur in umbrosissimis udis (saepe in ipsâ paene aquâ) ad folia ramulosque putridos dejectos, rarius terrestris in semitis declivibus (*Moholzer Haide; Hungersnoth*; *Cunnersdorf*) anno altero abundans, altero parca subsparsa. Maio, Junio, Julio.

988. P. nigripes.

α, sylvatica

ββ, cellaris

Var. *α*, nitidula regularis concava dilute pallens, non tantum in truncis semiputribus *abietinis* corticalis gregaria aut subsparsa occurrit, sed et epiphylla in foliis deciduis putridis exesis *Pseudoplatani* etc. (*Moholzer Haide* passim) autumno et praeprimis vere. *ββ*, distans *cupulâ* fere planâ subdifformi sordide lutescente, semel ad ligna putridissima cellaris inventa Januario.

Tab. III. 989. P. Urceolus NOBIS.

f. 4. *P. stipitata parva, extus brunnea nigro-striata, intus fuligineo-nigricans, stipite brevi incrassato, ore contracto erecto.*

Urceoli formâ insignis, lin. 1 — 1½ magna. *Substantia* sicca, duriuscula, carnoso-subsuberosa vel subcoriacea. Fungillus extus brunneo-spadiceus, striis regularibus obscurioribus pictus, laevis vel tantillum fibrillosus: intus fere niger, in nonnullis veluti granulosus. *Forma* admodum regularis, elegans, initio ore clauso pyriformis, dein margine aperturae semipatulae orbiculatae erecto (*Tulostomatis* aut *Lycoperdi* rupti quadantenus ad instar) urceolaris. *Cupula* primo subglobosa, dein obovata vel obconica. Unicâ vice hanc legimus in ramulis *alneis* emortuis decorticatis siccis, et quidem fungo? cuidam effuso crustoso fusco subhysterioidi sparsim insidentem (*faule Brücken*). Ineunte Aprili.

990. P. laciniata NOBIS. Tab. VII f. 8.

P. stipitata parva, cupulâ hemisphaericâ subventricosâ semipatulâ margine stellatim laciniatâ intus pallidâ, extus umbrinâ: stipite brevi firmo fusco.

Est e maxime notabilibus. *Cupula* 1 — 3 lin. lata, extus (sub lente augentiore) venis subtilissimis umbrino-fuscellis arcte eleganterque reticulata vel areolata. *Laciniae* marginis 4 — 8, subaequales, acutulae vel obtusiusculae. *Stipes* ½ — 1 lin. longus, saepe subincurvus. Totus demum fungus patulus *Didermatis stellaris* peridium exterius reflexum non male refert: per exsiccationem in formam subglobosam, laciniis introvolutis, transiens nigrescit: aquâ recreatus figuram pristinam resumit. In foliis loco humente dejectis putredine subconsumtis *Salicis Capreae* semel sparsam invenimus speciem raram, et laete quidem fructificantem, fumo semineo crebro avolante (*Moholzer Haide*). Primo Junio.

991. P. radiata.

Fungillus perquam elegans et distinctus in stipitibus sicciusculis dejectis aliquoties (*Ullersdorf*; *Sohlander Berg*) gregarius repertus. Augusto et seqq.

992. P. cyathoidea.

α, communis

γγ, violascens

Stipes longitudine variat. *Cupula* primum cyathoidea, dein planiuscula orbicularis subdiscoidea marginata, qualem pinxit b. *Hedwig*. Frequens occurrit in ramis vetustis siccis herbarum fruticumque, *Rubi fruticosi* etc. rarior in foliis semiputribus deciduis. Autumno et vere. Var. *γγ*, formâ conveniens, sed colore toto amoene violascente distincta, bis vel ter in foliis *fagineis* madidis secus rivum (*Eulenwald*) reperta. Autumnalis.

993. P. lutescens.

Media quasi inter praecedentem et *P. citrinam.* Incolit ramos abietinos aliosque dejectos hinc inde (v. c. *Küchenwiese; Lehmgruben; Horke*). Augusto, Septembri.

994. P. aeruginosa.

Discus saepe albidus. Totus fungus exoletus *colorem* quandoque sordide ochraceum assumit. Praeamat in regionibus nostris ligna putredine emollita *betulina*, quae aerugine longe lateque infecta in sylvis udis umbrosis vulgaris incolit (*Moholzer Haide; Schöpswiesen* etc.). Aestate, autumno.

995. P. citrina.

α, citrina

ββ, albida

Statura varia. Pervulgata ubique in sylvaticis humidis truncos ramosque dejectos arborum frondosarum occupat *α*, vere et praesertim autumno. Iisdem locis ad ligna semiputria passim (*hohe Linde*; *Jänkendorf*; *Ullersdorf*) nascitur *ββ*, colore tantum diversa. Autumnalis.

996. P. pallescens.

Color sordide pallescens aut lutescens, qualem fere exprimit icon *Hoffmanniana.* Quoad *formam* media haec est inter affines *P. citrinam* et *lutescentem.* Rarior nobis, nec nisi in glandibus quercinis dejectis (*Tränke*) hactenus lecta. Septembri.

997. P. faginea.

Diameter ½—1 lineae. Ad pericarpia *Fagi* vetusta uda semiputria projecta (*Eulenwald*; *Löbauer Berg*) passim. Autumno.

998. P. herbarum.

Nimis cognata priori. *Formâ* fere congruit cum sequente: sed paullo minor est, unicolor albida. Ad stipites dejectos, ramos *Rubi* etc. rarius ad ligna pinea

(*Lehmgruben*; *Haide* etc.), satis frequens. Aestate, autumno.

bb) Sessiles.

999. P. lenticularis.
Nitida species. Ad truncos duriores, ligna ligone fissa etc. in nemorosis umbrosis (v. c. *Haide*; *Schöpswiesen*) passim. Sept. et seqq.

1000. P. xanthomela.

ββ, epixylà

Differt var. nostra ab *α*, *disco* inaequali flexuoso subundulato (quod tamen forsan nonnisi a ligno subjacente oriri putandum), *margine* integro nec serrato, locoque natali. Legimus enim fungillum rarissimum in ligni semiputridi superficie lacunosâ olim serrâ truncatâ (*Fuchssteine*). Exeunte Martio.

1001. P. leucoloma.

β, major

γγ, muscigena

Nostra *β*, aurantio-coccinea potius est quam miniata, 2—4 rarius ad 6 lin. lata, vel tota sessilis, vel stipite instructa brevissimo crasso albidulo terrae immerso: praeter marginem pilis subtilibus niveis lacinulatum subtus etiam quandoque squamulis ejusdem coloris parcis ac plus minus obsoletis adspersa. Vulgaris haec nascitur epigaea inter *Polytricha* in ericetis arenosis humidiusculis apricis, ubique fere. Autumno praesertim serotino: Oct. Nov. Accedit hûc *γγ*, major, *stipite* crasso longo albente, (semunciam fere lata et alta), *cupulâ* hemisphaerico-concavâ: in reliquis congruens cum *β*,. Ex ipsis *Polytrichorum* majorum axillis procrescit haec var. locis paludosis (v. c. *Polsbruch*) minus frequens. Junio et sqq.

Tab. II. f. 5. 1002. P. melaloma NOBIS.

P. parva sessilis conferta concava demum planiuscula, sordide aurantia; margine pilis subtilissimis fasciculatis atris undique obsito.

Diameter 1—2 linearum. *Formâ* nunc gaudet regulari orbiculari, nunc plus minus difformi, margine varie flexuoso. Subtus modo prorsus laevis est, modo *pilis* item atris, sed sparsis et obsoletis, hirtiuscula: qui in *margine* constantes, conferti, fasciculares, brevissimi, cingulo *discum* circumdant nigro, quo vel ipso quantum distet haec a praecedente, vix opus est, ut disertis verbis moneamus. *Stipes* numquam ullus. *Situs* rarius subsparsus: plerumque arcte congestus, *caespitulis* saepe longe lateque effusis, carbonaria paene tota obducentibus, interdum materie alba (bysso forsan quâdam) veluti calce vestitis. In carbonariis sylvaticis vetustis passim (v. c. *Quizdorfer Busch*; *Polsbruch*; *Tränke*) frequens. Vere, aestate, praeprimis autumno.

T. VIII. f. 7. 1003. P. sanguinolenta NOBIS.

P. sessilis minuta glabella depresso-hemisphaerica ochroleuca vel dilute ochracea, ad tactum cruentata.

Sparsa gregariaque, intacta tota unicolor straminea aut pallide ochrea: at laesa sanguine illico emisso maculis persistentibus rubellis pingitur. *Latitudo* lineae vix unius. Ligna varia humida incolit: lecta v. c. in asserculis *pineis* cellaribus (*Anstaltskeller*) inque ramis *alneis* aut *coryleis* ad terram udam projectis (*Schöpswiesen*). Septembri et seqq.

1004. P. convexula.

Ob fragilitatem margine passim incisa. Rara in terris nostris species: hactenus unicâ tantum vice epigaea reperta ad oram sylvae (*Herrmanns Felder*). Medio Aprili.

1005. P. lurida.

Recens ac humida *disco* albido - caesia vel incana, *margine subtus*que ex ochreo fuscescens per lentem quasi granulosa vel farinosa, nonnumquam obsolete et vage crenata: sicca pro more specierum multarum corrugatur et e fusco nigricat tota. Subgregaria, subgregato-seriata, acûs *Pini sylvestris* et *Strobi* dejectas emortuas humidiusculas passim (v. c. *Lehmgruben*; *Monplaisir*) occupat Aprili, Maio.

1006. P. rufa.

α, epixyla

β, epigaea

α, cupulâ planâ, etiam subdepressâ, quandoque substipitata, in *ligno* nostro pineo passim. *β*, ad terram humentem parcior (*Anstaltshof*; *Polsbruch*). Utraque aestiva et autumnalis.

1007. P. granulosa.

α, communis

ββ, leporum

Var. *α*, ab initio concava, demum plana: extus subcinereo - granulosa, intus laete rubra — abunde ubique fere fimum *vaccinum* occupat, rarius solo nudo pinguiori (e. g. *Heinrichsruh*) innascitur. *ββ*, opacius rubra, sordide purpurascens, substipitata, persistenter concava, subtus rugosa at vix granulosa — in stercore *leporino* hinc inde (v. c. *Haide; Thiemendorf*) crescit. Utraque apprime autumno: at et hyeme, vere.

1008. P. confluens.

Variat *colore* aurantio ac laete luteo: *formâ* convexiusculâ, planâ, subconcavâ. *Stipes* vel prorsus nullus, vel minimus. *Tomentum* albidum non semper praesens. Abundantissima saepe *carbonaria* inprimis recentia (v. c. *Badeweg; Tränke*) infestat: minores nidos in *truncis*

adustis hinc illinc, praesertim *quercinis* (*Mayblumenbusch; Edelknabe*) efformat. Autumno, hyeme.

1009. P. diluta.

γγ, *fungorum*

Glabra sparsa roseo-rubella, *cupulis* substipitatis tenacellis minutis concavis subdifformibus. Hûc omnino accensenda videtur. Rarior, semel hactenus observata in hymenio vetusto *Boleti sistotremoidis* nostri (*Haide*). Sub finem Septembris.

Tab. XII f. 7. 1010. P. Pteridis NOBIS.

P. sparsa gregariaque sessilis minutissima cupularis subdifformis, intus sordide lutescens, extus subgranulosa opacior olivascens, margine laxe crenato.

Cum *PP. dentatâ*, *Lonicerae*, *Oederi*, *luridâ* — praeter alias notas vel ipsius coloris causâ conjungi nequit. *Margo* grosse crenatus vel dentatus, imo quandoque paene laciniatus. *Substantia* molliuscula: fungillus siccus subcontractus est et obscurior, sed non prorsus clausus. Frequentem invenimus aëre pluvio ad stipites humidos semiputres *Pteridis Aquilinae* (*verlornes Wasser*). Medio Maio.

Tab. X. f. 10. 1011. P. virens NOBIS.

P. sparsa vel subgregaria crustae sordide virescenti insidens sessilis minutissima glabella albida vel subcarnea, margine integerrimo.

Ad *P. dentatam* adscripsissemus, ni glabrities vetuisset et margo integerrimus constantissime observatus. A *Verrucariis* removetur *substantiâ* carnosâ in statu humido pellucidâ subtumidulâ etc. *Cupulae* tenerae, concavae, regulares, eumorphae; recentes vel humectatae tantillum carneae aut dilutissime vinosae, siccâ fere albae. *Crusta* exsiccata pallescit: aquâ restituta virorem pristinum recuperat. Amat cavernulas ligni *abiegni* pi-

neique carie jamjam destruendi, quas in sylvis opacis paludosis (v. c. *Moholzer Haide*) minime rara incolit, maculis satis late effusis. Praesertim vere.

1012. P. umbonata.

α, epixyla

ββ, epiphylla

Var. *α*, nostra constanter quidem ad fructûs induratos ligneos (*pineos*, *alneos*, *fagineos*) locis umbrosis humentibus (v. c. *Lehmgruben; Haide; Eulenbuch*) dejectos crescit: sed ceteroquin cum *Persoonianâ* adeo congruit, ut ne varietatis quidem loco ab eâ separanda videatur. Initio tota subgelatinosa mollis dilute caesia, exacte doliiformis: dein applanatur firmiorque fit, disco plerumque plus minus umbonato: demum saepe magis pezizaeformis evadit. Passim argenteo pruinata micore: aliâ vice in colorem dilute vinosum subvergens. Var. *ββ*, *oco* discrepat et *colore* (toto cinereo-fuliginoso): *formâ* consona: in foliis putridis deciduis (*Haide*) rarior. Aestate, autumno.

1013. P. epiphylla.

Notabile haec species praebet exemplum *stipitis* pro loci natalis diversâ ratione variabilis, in Pezizis compluribus observandi. Fungillus nimirum expeditus sessilis est aut basi brevissimâ nigrescente instructus: at suffocatus stipitis brevioris longiorisve ope altiora lucemque petere solet. In foliis semiputribus variis (e. c. *Schöpswiesen; Küchenwiese; Polsbruch*) abunde. Autumno: frequentior vere.

1014. P. betulina NOBIS. Tab. XII f. 5.

P. sparsa sessilis minutissima epiphylla glabella orbicularis convexa, dein cupularis, e pallido demum nigricans.

Sphaeriolis forsan adscribenda: a *S. punctiformi* tamen vel ipso colore satis diversa: primo pallens aut

dilute flava sensim e fusco nigrescit. Adulta formam constanter pezizoideam in aquâ etiam subtumens servat. In foliis deciduis vetustis *betulinis* passim (v. c. *Haide; Schöpswiesen; See*) frequens. Aprili, Maio.

T. VIII. 1015. P. Verrucaria NOBIS.

f. 6. *P. sparsa sessilis minuta epiphylla hemisphaerica vel subdifformis, extus et margine hirtiuscula candida; disco plano-convexiusculo atro.*

Primordialis clausa bombycina nivea tota: dein *discus* in conspectum venit dilute virens, demum ex olivaceo atrescens: hirsutie simul paullatim evanescente. *Diameter* ½ — 1 lineae. Ad *Myrothecia Tode* pertinere videtur: discus enim receptaculum seminale est initio lentoviscidum, postea induratum. *Verrucariam* primus adspectus suaderet: verum praeter villositatem juniorum locus etiam ipse natalis obstat, crustae vel possibilitatem excludens. Etenim in foliis exesissimis subconfectis *cucumerinis* (*Heinrichsruh; Gerstmann*) frequentem invenimus Augusto.

1016. P. atrata.

Extus nonnumquam rugulosa. Nascitur ad ligna cariosa, stipulas putridas hinc inde (v. c. *Moholzer Haide; Cunnersdorf*). Vere, aestate.

1017. P. compressa.

Sparsa gregariaque, haud raro conferta. Humida recensque orbicularis, extus praesertim distincte rufescens, disco planiusculo obscuriore: sicca quoque luci obversa micorem quemdam rufum ostendit, plus minus ceterum compressa. In lignis siccis duris, etiam cariosis, arborum frondosarum passim (*Haide* etc.) frequens: vernalis item et aestivalis.

OBS. Pertinent hûc porro:

a. *P. triangulo-dentata.* P. sessilis glabra cupu-

laeformis albida; margine dentibus magnis triangularibus coronato. — Lin. 1 fere lata et alta. Dolendum, speciei memorabilis specimen nonnisi unicum, nec id satis perfectum, inventum fuisse: in fructu *alneo* vetusto semiputri (*Büttnerwiese*). Exeunte Junio.

b. *P. subteres.* P. sessilis glabra parva subcylindrica gregaria, extus ex albido glauca subfuliginosa; disco plano-depresso laete luteo. *Forma* fere *P. umbonatae:* ita et *statura.* In ligno *pineo* putrido (*Moholzer Ziegelscheune*). Sub finem Augusti.

c. *P. Arenula.* P. glabra sessilis minutissima subglobosa sparsa, intus albida, extus subfuliginosa. Humens quoque paene tota clausa, arenae granulo simillima. In fronde *Pteridis* putri (*verlornes Wasser*). Medio Maio.

d. *P. Crataegi.* P. glabra subimmersa membranacea flaccida anomale subcupularis, disco rubello, margine inaequaliter laciniato sordide virente. Minuta, notabilis, sed in aetate senili tantum (ut videtur) inventa: in *Oxyacanthae* ligno nudo pluviis macerato (*Thiemendorf*) primo Maio.

D. CORIACEAE.

1018. P. leucomela.

Cupulae mox concavae, mox planiusculae: extus quasi pulverulentae. Lignis truncisque arborum frondosarum caesis nudis insidentem passim (v. c. *Schöpswiesen; Mayblumenbusch; Jänkendorf*) haud raram invenimus Martio, Aprili.

1019. P. Patellaria.

Sicca rugulosa ac subdifformis: humectata figuram patellae *Lichenis*ve scutellae regularem resumit. Ligna sicca *quercina*, *tiliacea* aliaque dura frequens hinc inde occupat, grege saepe denso. Autumno, hyeme, vere.

1020. P. Hysterium.

Fallacissima *Hysterii* speciem mentitur in statu sicco, atra, subnitida, duram simulans substantiam: sed aquâ refecta mollitiem illico prodit. Ceterum sparsa vel passim subcoacervata, rarius orbicularis oreque rotundo hians, plerumque oblonga flexuose curvata rimose dehiscens: *margo* nunc integer, nunc denticulatus. *Verrucariis* sterilibus fertilibusve in caudice *Quercûs*, *Tiliae*, *Salicis albae* parasiticis innascitur hinc inde (*Reichenbach; Jänkendorf; Cunnersdorf* etc.). Autumno, vere.

1021. P. Abietis.

α, truncigena

ββ, strobilina

Var. *α*, junior tota viridis est: adulta ex olivaceo subnigrescit, intus dilutior, satis regularis, rotundata, vix rugosa: sicca paene nigra fit, plus minus corrugatur ac comprimitur. Ad ramos siccos *pineos* nobis passim (v. c. *Öderniz; Schäferey*) obvia autumno et vere. Var. *ββ*, subsparsa substipitata e badio nigricans (individuis aliis sessilibus, aliis inter squamas coni protrusis brevius longiusve stipitatis), reliquis characteribus cum *α*, congrua, ad strobilos *abietinos* rarior, semel hucusque reperta (*Herrnhut*) Aprili.

1022. P. Pyri.

Pulchellam speciem unicâ tantum vice arcte caespitosam in cortice item *Mali* sicco (*Brüdergarten*) habuimus: medio Aprili.

T. VIII. 1023. P. pulveracea NOBIS.

f. 2. *P. parva gregaria dura basi nigrâ stipitata turbinata, pulvere cinereo dense obtecta, cupulâ subglobosâ.*

Satis superque formâ, stipite, situ differt ab antecedente. In greges satis longos latosque effunditur, at in caespites non colligitur. *Stipes* validus, sursum in-

crassatus, deorsum (nonnunquam totus) niger, cupulâ longior. *Cupula* dense pulverulenta, recens semipatula regularis, exsiccata clausa flexuosa. Magnitudo totius fungilli fere lineae unius. In cortice *betulino* sicco bis (*Trebusser Wald; Schöpswiesen*) obvius nobis fuit. Octobri, Maio.

1024. P. populnea.

Exemplaria nostra descriptioni iconique a cl. *Roth* datae (*Annal. bot.* l. c.) exacte aggrua sunt. Rariorem nobis speciem in trunco *Populi tremulae* dejecto (*Mayblumenbusch*) invenimus medio Aprili.

1025. P. furfuracea.

ββ, caespitosa

Subsemuncialis, arcte caespitosa: inde polymorpha difformis. *Color* extus e griseo terreus, in fungo humectato fuscescens, furfure dilutiore satis dense conspersus: intus e fusco nigricans. *Margo* latus, pulvinatus, involutus. *Substantia* membranaceo-coriacea. Infrequens: semel hactenus ad ramos *alneos* (*Küchenwiese*). Exeunte Decembri.

1026. P. farinacea.

Sessilis vel substipitata, e badio aut fusco nigrescens, extus hirto-pulverulenta. Ad ramos *Pini sylvestris* emortuos dejectos humidos siccosve non infrequens (v. c. *Coseler Dämme*; *hohe Linde*). Autumno, hyeme, vere.

1027. P. Ledi NOBIS. Tab. X. f. 7.

P. sparsa gregariaque sessilis e globoso hemisphaerica regularis extus cum micore viridi fusco-nigra rugosa pulvere compacto tecta, ore crenato: intus dilutior fuliginea.

Elegantula, ore praesertim pulchre viridi-micante. *Forma* regularis, primo margine connivente globosa

subventricosa, dein patentior hemisphaerica. *Statura* pusilla, semilineae fere: *color* paullatim fit opacior. *Substantia* dura, coriacea, sicca. In nonnullis intra *cupulas* fila quaedam alba parca farinosa observavimus: an casu istûc delata? an fungillus noster ad *Vermicularias Todeanas* accedere censendus? A *P. farinaceâ* facile distinguitur margine distincto et aequaliter crenato, formae regularitate, viroris mixturâ. Crescit in ligno excorticato *Ledi*, rarius in cortice ipso, infrequens (*faule Brücken*) Maio.

1028. P. ribesia.

α, Ribis rubri

ββ, Ribis nigri

Var. *α*, primo turbinata clausa: demum in discum scutellarem explanata. *ββ*, duplo major, exacte obconica, initio *velo* tomentoso-hirto badio (colore *Coffeae* fabarum ustarum), dein centro rupto fatiscente, obvoluta: cf. genera *Todeana* (*Tympanis* et *Myrothecium* illi dicta). Var. utraque ad ramos emortuos fruticis sui passim frequens (*Monplaisir; Jänkendorf; Diehse; Herrnhut*). Autumno, vere.

1029. P. pinastri.

α, sparsa

ββ, fasciculata

γγ, ramosa

In *α*, sparsâ vel subgregariâ *stipes* intra epidermidis frustula squamasve saepe delitescit, brevis, crassiusculus: *cupula* nunc aequalis, nunc minus magisve flexuosa. — Frequens haec provenit ad ramos emortuos, praesertim juniores tenuiores, *abietinos pineos*que (v. c. *Basalthügel*; *Lehmgruben; Hasensteg*; *Haide*) hyeme et vere. *ββ*, erumpens, arcte fasciculata, subiculo obsoleto concolori insidens, in ramis dejectis vetustis *Pini piceae*

(*Moholzer Haide* cópiose) occurrit vernalis. Var. γγ, monstrosa, difformis, *stipite* longo crasso subflexuoso in ramos 2 — 5 cupuliferos diviso, frequens inventa in interiore paginâ corticis *abiegni* exoleti, in casae hortensis tegumentum inservientis (*Monplaisir*). Julio.

1030. P. prunastri.

α, concolor

ββ, discolor

Colore excepto congruunt varr. ambae: sed *α*, extus intusque unicolor nigra est; *ββ*, disco ac margine item nigris exceptis, e luteo olivascit. Utraque ad caudices ramosve vetustos siccos *Pruni domesticae* (v. c. *Nisky*; *Rengersdorf*). Autumno, vere.

1031. P. Cerasi.

ββ, Padi

Erumpens sparsa caespitosaque coriacea nigra, subtus sordide ferruginea. Primordialis sese *Sphaeriam* quandam conicam umbilicatam ferrugineam simulat: dein in *Pezizae* ferrugineo-marginatae formam explanatur. Saepe solitaria, extus veluti pulverulenta. Unicâ haec vice inventa in arbustis emortuis fragillimis *Pruni Padi* frequens, in sylvis opacis paludosis (*Moholzer Haide*). Medio Aprili.

1032. P. carpinea.

Bis invenimus fungum nobis rarum: in *Carpino* (*Anstaltsgarten*) cupulis convexis clausis, Aprili — inque *Fago* excelsâ emortuâ (*Arnsdorfer Berge*) disco plano aperto, medio Octobri.

1033. P. Conoplea NOBIS. Tab. XI.

P. sparsa gregariaque sessilis minutula orbicularis applanata vix marginata rubra, pulvere fusco undique obruta. f. 3.

Fungillus prorsus excentricus, cum nullo hactenus nobis noto comparabilis. Primo adspectu meros

pulveris profunde tabacini seu fusci acervos ostendens *Conopleae* speciem mentitur: at his facile abstersis *discus* in conspectum venit pezizoideus planissimus, margine genuino prominente vix instructus, exacte circularis, vivide ruber, sanguineus fere. *Situs* nunc sparsus, nunc arcte congestus, caespitulis maculae rubellae interdum insidentibus. Huic generi tantisper, deficiente loco praestantiore, adscripsimus speciem ad culmos foliaque *Zeae Mays* semiputria in sterquiliniis etc. minime raram. Oct. Nov.

OBS. Species Sectionis hujus etiamnum chaoticae haud paucas ad alia genera cum nota jamdudum constituta, tum inposterum creanda, transmigraturas certo omine auguramur.

E. STICTIDES.

1034. P. S. radiata.

Nomen triviale mutandum ob N. 991. Exempla saepe vernalia vidimus *gelatinâ*, nunc fluxili, nunc in glebam ceream coagulatâ, viridi-fuscellâ luculente farcta: alia eandem evomuerant juxta ora eorum aperta jacentem, jam exalbidam, mox subglobosam, mox difformem crasse cirrhosam. Num itaque, praeeunte b. *Tode*, vere *sphaerobola* habenda? num *Naemasporis* propior? E *Pezizarum* certe genere exulabit. Ad ligna sicca *Viburni Opuli*, *Salicum* etc. passim frequens. Autumno et praesertim vere.

F. SOLENIAE.

1035. P. S. incana.

ββ, *candida*

γγ, *dicolor*

Formâ congruit ββ, nostra cum α, unde hûc tantisper

apposita fuit: sed quum ceteris notis omnibus differre videatur, speciem propriam si quis maluerit, parum recusaturi sumus. Majuscula est, 1 — 3 lineas alta, in greges longos latosque dense plerumque confertos ad uncias complures varie effusa, elegans, candidissima, demum subpallens, glabra, rarius tantillum tomentosa, loco natali laxiuscule affixa, submobilis. Fungilli primordiales, ad marginem agminis subsparsi, exacte sunt annuliformes: inde paullatim procrescunt in formam elongatam, e cylindrico sursum subincrassatam, ore connivente subobconicam. Frequens ubique fere in sylvis opacis, humidis innascitur lignis corticibusque putribus *betulinis*, *abietinis* etc. perennis. Var. γγ, distincta *basi* sordide pallente aut ochraceâ, *formâ* subcompressâ, *situ* fasciculari — semel frequens lecta in ponticulo putri (*Cunnersdorf*) Nov.

1036. P. S. ochracea.

ββ, laevis

Sparsa laevis ochrea, *ore* dilutiore. Nostra a *P. anomalâ* certissime diversa. Primo obtutu insectuli chrysalidem mentitur: sed frustra. Forma incrementique historia eadem fere ac praecedenti. Infrequens ad ligna putrida (*Moholzer Haide*; *Eulenwald*). Autumno, vere.

56. ASCOBOLUS.

1037. A. lignatilis NOBIS. Tab. VI. f. 6.

A. major epixylus stipitatus gregarius e sordide luteo subvirens externe albido-furfuraceus, stipite breviusculo crassiusculo in cupulam planam marginatam dilatato.

Furfure congruit cum sequente, aliquâtenus et colore: sed differt stipite, formâ, staturâ majore, loco. *Stipes* 1½ — 2 lin. fere longus et crassus, in sexcentis exemplis constantissimus, obconicus, sursum sensim di-

latatus in *cupulam* planam vel concaviusculam, 4—6 lin. latam, *theculis* creberrimis more generis prominentibus nigro - punctatam, marginem versus attenuatam. *Theculae* istae maturae ad tactum diruptae *sporulas* suas vi elasticâ vehemente fumi ad instar projaculantes laticem simul fundunt, quo discus irrigatus digito ablato mox cernitur. *Substantia* carnosa: *color* constans. Ingentia ac frequentia speciei notabilis agmina vidimus in lignis pineis fabrefactis subterraneis (aquâ *cloacinâ* aliquamdiu male inquinatis, ac inde restaurationis in gratiam effossis) aquaeductuum (*Anstaltshof*). Ineunte Novembri.

1038. A. furfuraceus.

Staturâ ludit et *colore*. Pervulgata species in fimo vaccino pratensi sylvaticoque, per omne anni tempus: rarior incolit merdam humanam, aestate.

1039. A. carneus.

Praeclare distincta species: disciformis convexo - plana vel prorsus applanata, glabra, dilute vinosa sive carnea, *margine* vix ullo, *thecis* copiosis prominulis e generis more nigris. Pulchella, semipellucens, minuta, semilineam fere lata. Nonnisi unâ vice reperta fuit in fimetò hortensi (*Herrnhutii*), aggregata. Primo Junio.

1040. A. glaber.

Exsiccatus totus nigrescit. In stercore vaccino locis umbrosis jacente (v. c. *Quizdorfer Busch*) nec ipse infrequens esse videtur: verum ob pusillitatem coloremque loco natali subconformem aegrius eruitur. Viget praeprimis autumno.

57. HELOTIUM.

A. CARNOSA.

T. VIII. 1041. H. radicatum NOBIS.

f. 6. *H. radicatum, volvâ niveâ primo involucratum, stipite*

simplice ramosoque crasso subrugoso albo-tomentoso, capitulis subrotundis planiusculis aureis.

Fungus praepulcher ambigit inter *Pezizae Helotii*que genus: propior *illi* capituli subtus non excavati formâ, *huic* ramositate ac habitu. Accedit quadantenus ad *Tubercularias* Todeanas *volvatam* et praesertim *sulcatam*: ab utrâque tamen diversus. *Substantia* stipitis firma, subcoriacea — capituli carnosa. *Statura* majuscula, 4 — 6 linearum fere: capituli *diameter* variat inter 1 et 4 lineas. Fungus infantilis *involucro* candido lanato totus obductus est; quod in pileo paullo post in frustula varia quasi farinacea dilapsum fatiscit ac totum dein evanescit — subtus vero inque stipite longe diutius persistens nonnisi consenescente fungo adeo obliteratur, ut color nativus sordide pallens transpareat. *Stipes* rectus, obliquus, subincurvus — nunc satis aequalis subteres, nunc varie difformis, compressus, rugosus, imo sulcatus etc.: in ramos plerumque binos ternosve divisus: deorsum *radicis* ad instar lignum, uncialis et ultra, strictus, modo simplex modo bi-trifurcus, intrat. *Capitulum* orbiculare aut subdifforme, e convexo planum, dein saepe centro subdepressum, colore formâque *Pezizae pityae* memoriam renovat. Brevis aevi fungus post imbres vernales, rarius aestivales, laete exsurgens paucos durat dies: gregarius frequensque intra cavitates sepium putrium fabrefactarum e *Pino sylvestri*, circa pagum nostrum passim. Apr. Mai. Jul.

1042. H. aciculare.

α, quercinum

ββ, abietinum

Var. *α*, ad ligna putrefacta *quercina* hinc inde (*Tränke; Häselachen; Moholzer Haide*) non infrequens crescit autumno medio *ββ*, discrepans *pileo* a primordiis inde

convexo-hemisphaerico, *colore* ex albo dein pallente ac subrufescente, *locoque natali* — semel, sed frequens, perfecta, variasque monstrans aetates, in trunco *abiegno* prae putredine eximiâ *Jungermanniis* variis toto obducto (*Quizdorfer Busch*) reperta fuit exeunte Martio.

1043. H. aureum.

Formâ praecedenti fere aggruus fungillus elegans: sed differt *colore*, *staturâ* paullo minore, *teneritate*. *Stipes* pro ratione tenuior: tomentum baseos niveum delicatum. *Pileus* lenticularis. Species haec quoque haud raro ramosa occurrit. Exempla a *Ludwigio*, primo inventore, amice nobiscum communicata nostratibus prorsus conformia agnovimus. Amare videtur cavernulas in truncis lignisque siccis *Abietis Pinique piceae* obvias, in quibus gregatim hinc illinc nidulatur (*Coseler Dämme; Eulenwald*). Hyeme leni, vere.

1044. H. fimetarium.

Parca unicâ vice inventa, sed perfecta, species rara in stercore vaccino sicco pratensi (*Brüderwiese*). Sub finem Octobris.

1045. H. galeatum.

α, commune

Quoad *substantiam coloresque* haud procul abest a *Tremellâ dubiâ: stipes* saepe ramosus. Frequens locis umbrosis paludosis innascitur lignis ramisque variis humi jacentibus (v. c. *faule Brücken; hohe Linde; Moholzer Haide* passim; *Schöpswiesen*). Septembri et seqq.

B. MEMBRANACEA.

Tab. IV. 1046. H. gibbum NOBIS.

f. 1. *H. membranaceum candidum pubescens, pileo umbonato gibbo resupinato cupulaeformi.*

Fungillus memoratu dignissimus ob pileum sursum

flexum pezizoideus apparet: at *substantiâ* membranaceâ perquam tenerâ mox flaccescente, speciei sequenti (aeque ac *color staturaque*) aggruâ, hunc sibi vindicat locum. Pube tenui totus hirtus. *Stipes* gracilis, delicatulus, 3 lin. fere longus: *pileus* minutus, semilinearis (vix major), resupinatus, in fundo eminenter umbonatus, ad latera plus minusve gibbus. Specimina pauca, sed distincta ac praeclàre vigentia, in strobilo *Pini sylvestris* locis putridis dejecto (*Gerstmanns Pflanzung*) semel lecta exeunte Augusto.

1047. H. glabrum.

Stipes tenerrimus, valde debilis, illico collabitur: postea tamen aliquamdiu persistit fungillus. Infrequens locis umbrosis humentibus (v. c. *Lehmgruben*) folia decidua, acûs pineas putres etc. gregatim incolit. Primo vere.

1048. H. melanopus.

Stipes hirsutie albidâ passim in nonnullis obductus, heterogeneâ, ut videtur. In foliis, stipitibus, acubus etc. dejectis sylvarum hinc illinc (v. c. *Haide; Trebusser Wald*). Autumno, vere.

OBS. 1. Speciei huic, quae *Ag. Omphaliae epiphyllae* proxima nobis quoque vehementer suspecta est, olim forsan substitui poterit *H. cinnamomeum*, submembranaceum convexum laeve cinnamomeum, stipite (tenui filiformi 3—4 lin. longo) deorsum nigro. Forma *H. glabri*. *Pileus* 2—3 lin. latus. Rarissimum epiphyllum (*Haide*) Junio.

OBS. 2. Sectionem hanc B, species fugaces membranaceas complectentem, non ex *Helotiorum* genere tantum, verum etiam ex integrâ *Helvelloideorum* familiâ, exulaturam, propriumque genus constituturam, vero simillimum utique est. Fructificatione enim peculiari prorsusque a *Pezizis* alienâ gaudere videtur: de quâ ta-

men donec certiora inclaruerint, fungillos hosce loco suo relinquere, quam temere translocare, maluimus.

58. STILBUM.

a) *Sphaerocephala.*

1049. S. tomentosum.

Capitulum in aliis semipellucens, in aliis turbidum. Tomentum non *stipitis* modo, sed et *subiculi* cujusdam albidi mucoriformis matricem obvolventis, constanter praesens in nostris. Totus fungus unicolor albus. Haud infrequens parasitatur in fungillis trichospermis variis, *Trichiis*, *Cribrariâ vulgari*, *cernuâ* etc. locis umbrosis madentibus sylvarum (e. g. *Moholzer Haide; Schöpswiesen;* etc.). Exeunte aestate et autumno.

1050. S. rigidum.

Est e majoribus ac frequentioribus: pervulgatum non tantum in lignis truncisque variis putrescentibus, sed praesertim etiam (ut et sequens) in *Pinorum* acubus exoletis, ubi *Dematium*-quoddam frustra mentiri solet. Inprimis Maio, Junio.

1051. S. piliforme.

Aeque prorsus locisque iisdem vulgare ac praecedens, quocum historiâ etiam convenit: sed ob pusillitatem oculi nudi acie paene majorem ac capitula cito decidua difficilius observatu. Hyeme, vere.

1052. S. gelatinosum.

ββ, subiculare

Totum albidum, valde molle, glaberrimum, lucidum, semipellucens, *subiculo* ejusdem coloris ac substantiae impositum. Per aliquot dies persistit, nec imminutum, nec colore mutatum: dein flaccescit. A *S. vulgari* affatim distat saltem haec nostra varietas praeter subicu-

lum stipite longiore nec adeo crasso, substantiâ molliore, situ sparso. In ligno nudo putredine emollito *Populi tremulae*, rarius (*Seer Lehmgruben*). Ineunte Decembri.

1053. S. vulgare.

Variat *staturâ;* plerumque tamen minutissimum est. *Capitulum* fructificans pulvisculo albo conspersum, colorem paullo diutius *stipite* conservare solet. Abunde, agmine utplurimum denso, ligna incolit putrescentia, discos vetustos caesos *Fagi*, *Abietis* etc. (e. g. *Polsbruch; Haide; Eulenwald*) — rarius terrae innascitur nudae umbrosae (*Lehmgruben*). Vere, aestate, autumno.

1054. S. bicolor.

Capitulum molle, initio globosum albidum, demum dilute olivascens subovatum evadit. *Stipes* longus, plus minus attenuatus, deorsum olivaceus, sursum subalbicans, pellucens. In *Agaricis* putridis — Stilborum in universum feracibus in regione nostrâ, cf. NN. 1056. 1059 — gregarium, sed infrequens. Autumno.

1055. S. hyalinum NOBIS. Tab. XII f. 6.

S. majusculum fasciculare pellucidissimum vitreum candidum, stipite subulato compresso, capitulo subgloboso.

Facillime a reliquis omnibus pellucore perfectissimo, ei, qui est in glacie purissimâ, aequiparando, distinguitur species haec nostra. *Situs* e 4 — 6 individuis fasciculatus, rarius solitarius. Species est e majoribus, $1\frac{1}{2}$ — 2 lin. longa, tota candidissima. *Stipes* basi subbulbosus, sursum minus magisve attenuatus, compressus, vitreus: *capitulum* initio aeque pellucens hyalinum, dein pro generis more lacteum turbidumque fit; forma ejus saepe exacte sphaerica. Semel, sed gregarium et admodum frequentem, legere contigit fungum pulchrum

in stipulis, ramulis, foliis putrescentibus dejectis (*Kandlers Scheune*), imbribus praeviis. Finiente Junio.

1056. S. byssinum.

Primo candidum tandem subpallescit. Hactenus nonnisi in *Agaricis* denigratis putribus inventum, quos passim longe lateque aggregatum haud infrequens occupat in umbrosis (v. c. *Ullersdorf; Sohlander Berg*). Octobri, Novembri.

b) *Strongylocephala.*

1057. S. micropus.

Stipite perbrevi, in nostris *capitulum* vix superante, imo initio paene breviore, a reliquis omnibus recedit. Crassiusculus ceterum est, capitulo concolor, albidum servans colorem. Exsiccatus fungillus totus valde contractus et exacte byssoideus apparet, capituli tamen reliquiis etiamnum coronatus. Lectus in ligno abiegno putridissimo subcorticalis gregarius in udis (*Bihaner Bruch*) medio Aprili.

1058. S. rubicundum.

ββ, fimetarium

An sejungendum? *Stipes* bulbillo cuidam insidet, rigidiusculus, persistens. *Capitulum* subovatum, parum compressum, in nostris (senioribus) turbidum, facile deciduum. *Statura* mediocris, sesquilinearis fere. Reliqua cum *α*, congruunt. Ad stercus *capreolinum* in udis inter *Polytricha* (*Haide*) gregarium. Primo Aprili.

1059. S. luteum.

Capitulum initio subglobosum dein fit ovale. Habitu, statura, loco natali - cum *S. byssino* fere convenit: sed egregie distat *colore* vivide luteo vel aureo. Totum semel *Agaricum* putrefactum (*Ullersdorf*) specie elegante obtectum vidimus. Postimo Octobri.

1060. S. smaragdinum NOBIS. Tab. I. f. 2.

S. gregarium subcaespitosum viride, stipite rigido persistente deorsum nigro, capitulo obovato pellucente demum deciduo.

Juxta *S. rigidum* et *piliforme* in serie naturali collocandus foret fungillus pulcherrimus, pelluciditate vivide smaragdinâ insignis. *Statura* lineae unius et quod excurrit. *Stipes* rectus, sursum tenuior, rigidulus, fragiliusculus, capitulis amissis byssi ad instar persistens; primo unicolor, dein sensim deorsum nigrescit, sursum unicorem smaragdinum conservat. *Capitulum* subturbinatum, vigente fungo pelluceus, in vetusto opacum marcescit ac delabitur. Ligna varia putrefacta, *abietinâ* praeprimis, locis umbrosis humidis (v. c. *hohe Linde; Lehmgruben; Moholzer Haide*) dejecta, agmine plerumque stipato, hinc illinc occupat. Vere, aestate.

59. AEGERITA.

1061. A. candida.

Abundantissima saepe ad ligna uda, imo inundata, in paludibus rivulisque (v. c. *Haide; Hungersnoth; Eulenbach*). Vere, inprimis autumno.

1062. A. caesia.

Forma prioris: sed differt *colore* extus caesio-pruinato, intus nigricante, et *substantiâ* molliusculâ, compressu facili, *situque* sparso. In sylvaticis ad truncos (v. c. *Horke*) Septembri.

ORDO VI.
NAEMATOTHECII.

---

60. EPICHYSIUM TODE.

Fungus sessilis, rotundato-concavus; *seminibus* ecaudato-globosis, distichis, *filamento* ramoso aream internam obrepenti affixis.

1063. E. argenteum *Tode.*
Specimina nostra iconi ac descriptioni primi inventoris prorsus accommodata curatum prodidit examen: nisi quod *sporulas* subglobosas haud adeo prope contiguas regulariterque distichas, sed potius ad latera *filorum* arbusculiformium utraque hinc illinc sparsas viderimus. Nitore tandem amisso totus fungillus subfuscescit: bis inventus in stercoratis, sparsim crescens, merdae vetustae putri (suillae, ut videbatur) immersus (*Diehse; Herrnhut*). Generi inter *fungos pezizoideos* et *byssoideos* velut medio inserendo aptiorem vix habebamus locum. — Maio, Junio.

61. ASCOPHORA.

1064. A. Mucedo *Tode.*
Est *Mucor Mucedo α, Pers. Synops.* p. 201. cf. N. 309 — praeclare a b. *Tode* illustratus; quocum, fungum a *Mucedine vulgari* diversissimum ob *capitula* inflata, demum inania, persistentia, ad *Ascophoras* ablegandum esse penitus consentimus. Haud infrequens innascitur fructibus exsiccatis cellaribus mucescentibus variis, v. c. pomis, Castaneae nucibus, Solani tuberibus putridis etc. Omni anni tempore.

62. PERICONIA.

1065. P. lichenoides.

Macula quidem atra deest in exemplaribus nostris: sed reliqua omnia cum icone descriptioneque *Todeanâ* verbotenus congruunt. Species ceterum ob *capitulum* vesiculare intus inane antecedenti generi propinqua. Semel hucusque inventa fuit coelo madido in rejectamentis hortensibus ad sarmenta *cucurbitacea* vetusta, aestivalis: exeunte Junio.

1066. P. byssoides.

Staturâ variat inter lineas 1 et 2 ferme. Farinam *capituli* filis parcis nonnullis intertextam per vitra augentiora conspicari nobis visi sumus. Amat haec culmos foliaque emortua *Caricum* majorum, *Juncorum conglomerati, effusi* L. etc. quibus increscit frequens locis paludosis (v. c. *hohe Linde; Bihaner Bruch; Thiemendorf*). Apr. Maio.

1067. P. flavovirens NOBIS. Tab. IV. f. 7.

P. stipite rigido persistente striato fusco-nigro, capitulo laxo farinoso subfilato flavovirente demum evanido.

Habitu, staturâ, aliquatenus et formâ aequiparabilis antecedenti: a quâ tamen abunde differt vel ipso capitulo *Isariae* (ad quod genus manifeste accedit) laxe farinoso, farinâ filis aperte intermixtâ, quâ demum dejectâ stipes conspersus cernitur. *Stipes* deorsum incrassatus bulbillo quasi inniti videtur: ejus *striae* in icone nostrâ male sunt neglectae. *Capitulum* in aliis oblongum vel subteres, in aliis sphaericum fere, colore flavovirente (*Calycii* paene *furfuracei*) conspicuum: tandem vel farinâ amissâ obliteratum, vel deciduum. Reperimus fungillum subgregarium in foliis *Sorbi Aucupariae* humidis semiputribus dejectis (*verlornes Wasser*). Medio Maio.

1068. P. Stemonitis.

α, communis

ββ, pusilla

Var. *α*, satis frequens occurrit ad ramulos varios, *Grossulariae* etc., etiam ad ligna *populnea* aliaque hinc inde (*Haide*; *Jänkendorf; Cunnersdorf* etc.). Autumno, vere. *ββ*, vix semilinearis, microscopica, *stipite* nigro rigidulo, furfure *capituli* cinereo, pilis Isariae ad instar intertexto — gregaria et frequens reperta in lignis pineis fabrefactis cellaribus. Januario.

63. CERATIUM NOBIS.

Fungus mollissimus, tremulus, facile deliquescens; hirsutus *filis*, *sporulas* micantes elastice propulsandas gestantibus; cornutus.

OBS. *Isariam mucidam*, fructificatione aeque ac substantiâ a reliquo genere adeo alienam, separare jamdudum in animo fuerat: quod consilium ut sequeremur, species duae novae, generice illi aggruae, prorsus nobis persuasere.

Tab. II. f. 7. 1069. C. hydnoides NOBIS.

C. congestum hydnoides, truncis subconfluentibus, cornibus simplicibus ramosisque pedatis aut fasciculatis.

Est haec *Isaria mucida Pers. Synops.* p. 688, iam a *Jacquino* haud inepte sane *Tremella hydnoidea* dicta. *Substantia* fungi vigentis mollissima, fluxilis potius quam gelatinosa, semipellucens, aquea: laesa in hoc statu fungorum congeries (tacta aut paullo alacrius concussa) in laticem amorphum subgelatinosum illico destructa diffluit: at ubi loco suo natali delitescens per istud vigoris tempus incolumis servata fuit, cornibus jam flaccidis varieque decumbentibus byssoidea exsiccataque satis diu (etiamnum sporuligera) persistere solet. In utroque

statu *sporulas* subglobosas nitentes candidas, quibus mediâ aetate obtecta cernitur, quassata digitove pressa in auras vi vehemente fumans dispellit: *color* ceteroquin lacteus, e niveo glaucescens. *Cornua* aliquot plerumque e *trunco* basive communi in formam nunc fasciculatam, nunc pedatam aut digitatam pronascuntur, crassiuscula, simplicia vel bi-triramosa, recta vel subdepressa; haec dum crescunt, apice limpidissime aquosa simulque incrassata capitata paene stilbiformia apparent — sed adulta, ad 2 — 5 lin. producta, compressa subflexuosa sursum subattenuata evadunt, ac paullo post marcescunt: ludunt nonnunquam habitu tenuiore ac ramosiore. *Situs* caespitosus, ad aliquot uncias saepe effusus, *Odontiae* specie spectatori illudens. Pervulgata lignis putredine exesis *pineis*, *abietinis*, *alneis*, *salignis* etc. ubique increscit haec species. A Junio in Octobrem usque.

1070. C. pyxidatum NOBIS. Tab. XII f. 9.

C. sparsum pyxidatum, trunco simplici apice radiatim cornuto.

Adeo cum priore congruit *substantiâ*, *colore*, totâque *historiâ*, ut ei, qui varietatem ejus insigniorem dixerit, parum adversaturi simus: *formâ* tamen differt et *situ*. *Cornua* 3 — 10 crassa, obtusa, in pyxidem composita. Ad ligna putria passim (v. c. *Eulenwald*; *Haide*). Aestate.

1071. C. porioides NOBIS. Tab. II. f. 6.

C. congestum porioides, truncis undique in orbem confluentibus, cornibus simplicibus distantibus erectis.

α, lacteum

β, flavum

*Substantiâ historiâ*que et hoc praecedentibus consonum, generi nostro adscribendum est: species ceterum sui utique juris. *Forma* constanter exacte porioidea, poris

majusculis faviformibus angulatis 5—8gonis, in singulo angulo primo tuberculatis, dein cornutis: e quovis enim *tuberculo* enascitur *cornu* crassiusculum, obtusum, lin. 1 fere longum. *Sporulae* rariores quam prioribus. β, *colore* discrepat pulchre flavo. In lignis *abiegnis* putridissimis (*Haide; Schöpswiesen; verlornes Wasser*). Jun. — Sept.

64. ISARIA.

1072. I. crassa.

Stipes plerumque distinctus, laevis, saepe flavicans aut subochraceus: quandoque tamen ipse quoque farinâ totus obtectus. *Capitulum* valde farinosum, crassum. Totum aliquando habuimus fungum *rostris* patulis flexuosis pubescentibus nigris, veluti spinulis, horrentem, quae ad *Sphaeriam* quandam *macrostomam* pertinere videbantur: verum sphaerulas eruere non contigit. Gregarius in chrysalidibus emortuis putrescentibus, minime rarus nobis, parasitatur (v. c. *Seer Steinbruch; Schöpswiesen; Rengersdorf; Tränke*): parcior ad terram, inter acûs pineas etc. (*Oderniz; See*). Ab Augusto in Novembrem usque.

1073. I. agaricina.

α, *agaricina*

ββ, *petiolaris*

Vulgaris est α, in *Agaricis* (*caudicino, polymyce* etc.) post putredinem induratis (v. c. *Quizdorf; Haide; Sohlander Berg*). ββ, structurâ cum α, convenientem, sed laxiorem, ramosiorem, ultra duplum majorem, rariorem invenimus *petiolis* deciduis semiputribus *quercinis* increscentem (*Tränke*). Augusto et seqq. (In α, *stipes* haud raro pallescit aut lutescit, praesertim deorsum).

1074. I. epiphylla.

Statura 2 — 3 linearum. *Situs* caespitosus, *clavulis* satis aequaliter in orbem dispositis, extrorsum subcurvatis. *Forma* vere clavata, sursum subincrassata, apice obtuso. Bis reperimus speciem raram: primâ vice in *Agarico* putri parasiticam locis udis umbrosis (*hohe Linde*): secundâ, sed minorem minusque perfectam, in *corii* frusto putri vetusto inter rejectamenta. Autumno, vere.

1075. I. umbrina.

ββ, parasitica

Media quasi inter α, et *I. citrinam: illi* aggrua *situ* fasciculato, *colore*, *habitu* arido stricto: *huic pilis* iconem *Persoonianam* exacte referentibus. Specie forsan propriâ digna. Fungus siccus, solidus, parce ramosus, caule ramisque strictis arentibus, persistens absque mutatione, 1 — 3 lin. longus: utplurimum umbrinus apicibus flavovirentibus, rarius totus flavovirens apicibus albicantibus. Ceterum plerumque mere pilosus, nec farinaceus: bis terve tamen (fertilem?) vidimus *pulvere* umbrino praeter apices obtectum. Valde cupidus est *Sphaeriae fragiformis*, cujus basi circinans innascitur, nunc suberectus, nunc horizontalis ligno paene adpressus: vix siné illâ occurrens. Ad ramos emortuos dejectos (*Moholzer Haide*) non rara. Sero autumno, vere.

1076. I. carnea.

Speciem elegantulam e carneo demum rufam *I. mucidae* suae propinquam ait cl. *Persoon Comm.* l. c.: at nos hanc, licet minime raro observatam, tremulam ac fluxilem hactenus non vidimus, sed constanter siccam. Ad cortices *Abietis Pinique piceae*, ligna adusta *quercina*, *betulina* etc. passim (*Seer Ziegelscheune; Eulenwald; Tränke*) vere, aestate: etiam cellaris, hyeme.

Tab.XII. 1077. I. **monilioides** NOBIS.

f. 8. *I. simplex erecta subgregaria, stipite firmulo semipellucente, capitulo candido oblongo subturbinato aut tereti, filis laevibus racemosis farinosis brevibus.*

Discrepat a *Moniliâ candidâ* filis laevibus *nec* articulatis, capitulique formâ. Species pusilla, vix lineam magna, nitidula: nunc sparsa, nunc longe lateque gregaria, sylvulam constituens. Specimina interdum aliquot, 2 — 3, caespitosa: imo *capitula* rarius bigata, stipitibus 2 coalitis. *Stipes* variat colore candido, lutescente, rufescente. Capitula plerumque modice farinosa: vidimus tamen etiam farinae detersilis copiâ ingente una cum stipite obruta. Frequens ad ligna corticesque putrescentes dejectos udos *Pinorum*, rarior paulloque major in *Alno* (v. c. *Haide; Monplaisir; Eulenwald*). Autumno et praesertim vere.

1078. I. **saccharina.**

Mendax sacchari strati aemulatrix. *Fila* modo parciora, modo crebriora. Provenit vel in *Thelephoris* semidestructis cum *Sphaeriâ aurantiâ*, vel in meris lignis ac corticibus *pineis* passim (*See; Öderniz; Moholzer Haide*). Hyeme, vere, aestate.

65. BOTRYTIS.

1079. B. **diffusa** NOBIS.

B. candida ramosa, ramis longe lateque diffusis, ramulis undique in racemos dispositis, racemuligeris.

In Bysso elegantissimâ, a reliquis omnibus distinctissimâ, sed admodum tenerâ, ac cito fabricâ destructâ collabescente — delineationis momentum nos perdidisse eximie dolemus. Magna est, caespites biunciales et ultra formans. *Structura* prorsus regularis. *Sporulae* in racemulo singulo subquaternae, subglobosae; dissi-

lientes fumum seminalem copiosum emittunt. Semel inventa, sed crebra et perfectissima, in caulibus *Solani tuberosi* semiputridis coacervatis (*in horto Gambsiano*). Medio Novembri.

1080. B. cinerea.

Stipites sub lente augentiore moniliformes articulati, articulis compressis, more *Torularum*. In putridis a *Persoonio* indicatis aliisque variis ubique pervulgata: praepulchra ad caules *Cicutae virosae Sclerotio duro* insidens, parasitica. — Omni anni tempore.

1081. B. ramosa.

γγ, *candida*

Tenera, ephemera, laxa, decumbens, candida, ramosa — ramis per microscopium compositum verticillatis sparsim sporuligeris plumulosa. Memorabilis fungus vel hûc collocandus, vel huic saltem propinquus: ad *Isarias* amandandum vix putarimus. — In capsulis stanneis nostris ad fungos putridos abunde pronatum vidimus medio Septembri.

1082. B. simplex.

ββ, *monilis*

Aggregata simplicissima alba, dein grisescens: *spiculae* virgatae e *sporulis* arcte sessilibus constant, unde per lentem moniliformes apparent. An hûc? an nova *Moniliae* species, imo familia? In foliis culmisque, viridibus aeque ac exoletis, graminum (*Bromi mollis* etc.): ad sepes circumpaganas nostras, in pratis passim. Aestate, autumno.

66. MONILIA.

A. MONILIA.

1083. M. aurea.

Color vivax, aureus. *Statura* paullo minor sequentibus.

fabrica eadem. Ad discos ligneos mucidos semiputres butyrosos, cellaris, rarior. Aestate.

1084. M. sulphurea.

Color nunc sulphureus, nunc in ochraceum vergens. In malis aliisque fructibus mucidis cellaribus, frequentior. Vere.

1085. M. rosea.

Eodem prorsus loco cum *M. aureâ* nobis obvia facta: illâ paullo crebrior et major, incarnata vel rosea. Aestivalis.

1086. M. glauca.

Stipitum color albus vel glaucescens: *capitulorum* cinereo-caesius. Vulgaris haec infestat non fructûs tantum putrescentes cellarum etc. sed et ligna passim putria *pinea*, *abietina* aliaque varia. Praesertim vere.

1087. M. pulla.

Cum *M. aureâ* et *roseâ*, item rara: Augusto. Species jam recensitae quinque propius affines sunt, vix nisi coloribus diversae. Modo imperfectae occurrunt, sessiles, amorphae: modo vigentes, effiguratae, stipitatae, *stipite* utplurimum dilutiore albente, quoad staturam crassitiemque vario. *Articuli* filorum minutuli, per vitra nonnisi augentiora visibiles.

1088. M. candida.

Minuta, elegantula, persistens, *stipite* mediocri satis firmo. In corticibus lignisque putrescentibus variis passim (*Schöpswiese*; *Haide*; *Rengersdorf* etc.): rarior in *Agaricis* post putredinem induratis, ubi stipite gaudet tenui longo subcapillari, capitulo ceterum sphaerico etc. congrua. Aestate, autumno.

B. ASPERGILLUS.

1089. M. digitata.

Parvula, gregaria, glauca vel albido-cinerea. *Stipites*

simplices, tenues, subarticulati: *capitula* terminalia digitata, *digitis* distinctius articulatis, crassioribus, plus minus confertis, teretibus aut subincrassatis. Ad cortices, fungos etc. putres passim. Vere, autumno.

C. TORULA.

1090. M. fructigena.

Subpulverulenta. *Articuli* filorum ovati, oblongi, cylindrici: mox contigui, mox petiolis disjuncti. In *Prunis* immaturis mucidis hortensibus, *Malis* putridis cellaribus etc. Vere, autumno.

1091. M. antennata.

Articuli filorum prorsus quales in priore. Junior caespitulos format subrotundos sparsos aut subconfluentes. Ad truncos lignaque vetusta hinc inde: varietatem *ferrugineo-fuscam* frequentem aliquoties invenimus in *Taxo* aridâ (*Sohlander Berg*). Vere, autumno.

67. DEMATIUM.

a) *Distincta.*

1092. D. articulatum.

Cognatum omnino *D. epiphyllo*: a quo tamen affatim discrepat *filis* satis distincte articulatis, *colore*que profundiore nigricante. Praeamare videtur scapos foliaque plantarum *Liliacearum* exaridarum, v. c. *Hemerocallidis fulvae*, *Croci* etc. quibus frequens innascitur hortensis: attamen aliosque haec species copiose saepe occupat caules siccos deciduos, v. g. *Sphondylii*, *Solani tuberosi* (*Cana; Öderniz* etc.). Vere, aestate, autumno.

1093. D. ciliare.

α, atrum

Greges fungilli hujus longe lateque effusi ramos cingunt,

ad tactum grati, molles, sericei quasi. *Pili* nunc solitarii, nunc 2—3—4 e *bulbillo* uno (quem prae exilitate scalpelli aciem superante discindere non contigit) fasciculati. In ramis dejectis variis siccis arborum frondosarum passim frequens. Autumno, vere.

1094. D. epiphyllum.

Color e viridi sordide olivaceus. *Fasciculi* filorum modo pusilli, oculum inermem tantum non fugientes, modo majusculi. Ad folia exsiccata projecta betulina aliaque varia pervulgatum ubique crescit. Inprimis hyeme, vere.

1095. D. strigosum.

δ, *arboreum*

Fibrilloso-strigosum, rarius nobis, nec nisi bis adhuc repertum: sub cortice *Alni* parcius (*Moholzer Haide*) et *Sambuci nigrae* crebrius (*Cunnersdorf*). Autumno, tardo, vere.

1096. D. stuposum.

Loco natali excepto, quem tamen et ipsum quodammodo *subterraneum* dicere possis, cum descriptione *Synopseos* adeo exacte convenit nostrum, ut vix pro varietate sit habendum. *Stupam* egregie aemulatur. *Fibrarum* extremitates passim expallidae in tegumentum quoddam reliqui fungi hinc illinc confluentes observatae. In centro carie exeso profunde arcteque excavato tenebricoso *Fagi* cujusdam vetustae jamdudum serrâ truncatae (*Eulenwald*). Vere, aestate.

1097. D. bombycinum.

α, *album*

ββ, *rubicundum*

Var. α, mox candida, mox sordidius alba, interdum cinerascens: ββ, paullo firmior minusque fugax, colore rubello, passim intensius rubente, insignis; ceterum tamen huc omnino pertinens. Provenit var. utraque mixta

in cellis humidioribus ubique abunde, epixyla, saxatilis, imo in ollis pro plantarum hybernaculo ibique conservandâ incolumitate hûc delatis terrestris. Hyemalis praesertim et vernalis.

b) *Subintertexta.*

1098. D. petraeum.
Amoene aureum, valde pulverulentum. Byssi nobis rarissimae caespes nonnisi unicus inventus in Granito (*Fürstensteine*) Junio.

1099. D. ollare.
Initio subfulvum, caespites constituens parvos: dein longe ac late effusum simul canescit aut expallescit. Ad terram ollarum hyemalium in holocaustis asservatarum hinc inde. Jan. Febr.

1100. D. cinnabarinum.

ββ, truncigenum

Color in nostro quoque opace cinnabarinus, *caespites*que e filis brevibus compacti — sed circumscripti, mediocres, vix unciales: ceterum pulverulenti. *Fila* marginalia nonnulla distincta per lentem subverticillata nobis apparuere. An itaque hûc? in descriptione *Synopseos* brevissimâ nil affirmamus. Crescit ad discos caesos, ligna nuda, *Salicis albae*, *Tiliae*, aliarumque arborum frondosarum haud adeo infrequens (e. g. *Vorwerk; Moholzer Haide; Diehse*). Autumno tardo, vere.

1101. D. impressum.

ββ, effusum

Late effusum est nostrum, nec circumscriptum, nec impressum: ob *colorem* tamen album hûc accensitum. *Habitu* ac *structurâ* cum *D. herbarum* γ, fere convenit. In *Agaricis* exsiccatis semiputribus passim (*See; Ullersdorf* etc.). Septembri et seqq.

1102. D. virescens.

Colore e luteo laete virente statim dignoscitur. Ad ligna sicca carie exesa passim (v. c. *Ullersdorf*; *Eulenwald*; etc.) frequens occurrit, et saepe quidem in *Sphaeriâ rubiginosâ* parasiticum. Martio et seqq.

1103. D. Hippocastani.

Nigrum cum micore viridi-olivaceo. Bullatum quidem hinc inde; justo tamen propius affine sequenti. Ad cortices lignave nuda *Aesculorum* pagi nostri passim, sed infrequens. Vere, autumno.

1104. D. herbarum.

α, *herbarum*
β, *Brassicae*
γ, *fungorum*
δδ, *lignorum*

Var. α, ad caules stipitesque aridos mucescentes herbarum diversarum, legumina *Phaseoli* exsiccata etc. ubique vulgata, perennis. Nec β, rara ad *Brassicam* inprimis cellarem putrescentem: hyeme. Var. γ, initio viridis, dein ex olivaceo nigricans, item abundans, fungos demum totos fere obvolvit ac destruit autumno tardiore. Hûc tandem accedit δδ, paene nigra, epixyla, late effusa, in truncis aliquoties (*Moholzer Haide*; *Holzplätze*) observata. Vere.

1105. D. abietinum.

In cortice lignoque *abietino* ubique fere frequens: semel etiam inventum ad ligna *Populi tremulae* caesae (*Moholzer Haide*) admodum pulverulentum, sed ceteroquin vulgato simillimum. Vere.

1106. D. salicinum.

Modo subsparsum, modo confluens effusum. Provenit ad folia *Salicis Capreae* in sylvaticis umbrosis humidis

minime rarum (v. c. *Moholzer Haide*; *Thiemendorf*). Autumno serotino, vere.

OBS. *Byssos* passim complures reperimus, quibus quoad genus ambiguis collocandis commodiorem tantisper *Dematiorum* genere ipso quoque satis vago locum nullum noramus. Earum jam insigniores brevibus ex instituto nostro perstringimus:

a. *D. stilboides*. D. filis erectis rigidis subramosis pallidis arcte congestis farinâ albâ interspersis, guttulâ aqueâ limpidâ nonnunquam sublutescente tandem evanidâ (an deciduâ?) coronatis. Late effusum, cortices ramorum *abietinorum* cingens (*Basalthügel*). Exeunte Octobri.

b. *D. sistotremoides*. D. argenteo-nitens, dein fuscescens, filis minutis dense congestis subiculo? membranaceo impositis simplicibus laxis subarticulatis, apice saepe conglutinatis. Ad ligna putrida semel lectum (*Rengersdorf*). Medio Novembri.

c. *D. velutinum*. D. late effusum simplex arcte congestum, filis minutis erectis crassis obtusissimis lucidis velutino-nitentibus brunneo-fuscis. Notabile, pulchrum: an primordium fungi ignoti? *Fila?* crassa, *succulenta quasi*, interdum subnodosa, sese invicem sustentantia, $\frac{1}{2}$ — 1 lin. longa. In lignis adustis putredine exesis (*Rengersdorf*; *Cunnersdorf*). Medio item Novembri.

d. *D. episphaerium*. D. parvum erectum fasciculare fruticulosum subpulveraceum cinereum, setulis parce ramosis laevibus, in ostiolis *Sphaeriae rubiginosae* parasiticum. Fortasse *Botrytis* est: sed cum *B. cinereâ* conjungi nequit. Fungus elegans, tenellus, facilis destructu. In sylvaticis (*Moholzer Haide*). Aprili.

68. ERINEUM.

1107. E. acerinum.

Recens ac junius albidum, pallescens: dein e rufo vel ferrugineo fuscum, coloris tabacini fere. Ad folia decidua *Acerum platanoidis* et *Pseudoplatani* abundans, saepe ingens (v. g. *Monplaisir; Moholzer Haide; Cunnersdorf; Königsholz* etc.). Aestate, autumno, vere.

1108. E. betulinum NOBIS..

E. depressum late et inaequaliter effusum rufo-fuscum, primo vivide sanguineo-purpureum.

Colore aetatis senioris tabacino congruit cum antecedente: a quo tamen, praeter *locum natalem* coloremque fungi vigentis inde a primis, initiis vivacissime rubrum in oculos e longinquo incurrentem, eo etiam differt, quod in *superiore* praesertim folii *paginâ* late et absque normâ effunditur. Provenit ad folia *betulina* hinc inde, totas passim arbusculas, inde submorbosas, inficiens (e. c. *Monplaisir; Haide; Fuchssteine*). Vere, aestate.

1109. E. fagineum.

Forma suborbicularis aut elliptica. Exempla nostra *aversam* foliorum *paginam* occupantia. Rara nobis species nonnisi Herrnhutio (*vom Hengstberg*) hactenus allata. Exeunte Aprili.

1110. E. pyrinum.

Indeterminate oblongum, planum nec immersum: *fila* laxe congesta. Junius album: dein spadiceum. Rarissimum item unicâ solum vice inventum in pomario domestico (*Mückenhayn*) ad folia *Pyri Mali*. Exeunte Junio.

1111. E. tiliaceum.

Pallorem suum senile etiam conservat. In foliis *Tiliae* ubique, perquam vulgare: omni anni tempore.

1112. E. aureum.

Species prae ceteris elegans, saepe satis profunde immersa, sericeo adspectu melleoque vel aureo colore insignis. Frequens aliquoties reperta fuit in foliis vigentibus *Populi nigrae italicae* pratensis (*Diehse; Jänkendorfer Lehmdamm*), 3—4 lineas utplurimum lata, formâ circumscriptâ subrotundâ. Junio.

1113. E. populinum.

Notam diagnosticam bonam offert *cupula* profunda, hemisphaerico-subventricosa. *Color* initio pallide flavescit: dein saepe purpurâ quasi afflatus apparet, quod tamen in *E. tiliaceo* etiam quandoque observavimus: demum fit spadiceum. Vulgare ad folia *Populi tremulae* viridia siccaque: perenne.

1114. E. alneum.

Valde grumosum ac grossum, planum vel subpulvinatum, 4—6 lin. saepe magnum. Frequens ad folia *alnea* decidua, fere perenne.

OBS. Porro hûc venit adnotandum:

E. Padi. E. oblongum subeffusum folia contorquens album. *Structurâ* quidem ad species praesertim in introitu generis recensitas proxime accedere videbatur: at folia valde contorta suspicionem, merum insecti (quamvis nullo modo eruendi) domicilium *Erinei* faciem induisse, inde a primo adspectu alebant. Nonnisi in statu recenti ac juniore semel, sed frequens, arbores integras occupans, in foliis *Pruni Padi* juvenilibus observatum, locis opacis umbrosis paludosis (*Moholzer Haide*). Ineunte Junio.

69. RACODIUM.

1115. R. rupestre.

α, commune

Compactum, vere pannosum, rupes longe lateque incrustans. Ad saxa granitina *Herrnhutii* (*Petersbach*) frequens: propiore loco nondum repertum. Perenne procul dubio: nos invenimus Aprili.

1116. R. cellare.

Multo laxius contextum antecedente. *Color* et *mollities* exacte pellis murinae: *granula* in plerisque exemplaribus crebra. In cellis vinariis xenodochii nostri ad dolia vetusta frequens, ad muros rarius: observatum Januario.

1117. R. Xylostroma.

α, giganteum

β, Corium

Var. *α*, in *quercubus* senio debilitatis passim (*Holzplätze; Haide*). Autumno. De *β*, nondum satis liquet, an ad var. *Persoonianam* pertineat? an mera *Boleti* sit matrix? Duriuscula, e stratis pluribus distinctis composita, extus tomentosa alba, intus laeviuscula alutacea. In centro *Abietis* exeso longe lateque protensa (*Moholzer Haide*): finiente Aprili.

1118. R. papyraceum.

Chartae papyraceae intra lignorum strata expansae et agglutinatae, dein saepe hinc illinc sublacerae, aequiparandum. Ad ligna sicca dura excavata, etiam humi projecta *Salicis albae*, *Fagi* (*Jänkendorf; Eulenwald*). Aprili, Maio.

1119. R. aeruginosum.

Coeruleum, aeruginosum, viride: demum profundius. *Maculae* in nonnullis colore effoeto sordide ochraceae. Plura semel exempla reperimus fungi rarioris, radicibus arborum, muscorum aliarumque quisquiliarum farragine leviter obtectis, adhaerentia. Primo Aprili. (*Haide*).

70. HIMANTIA.

1120. H. sulphurea.

Species haecce anne potius mera sit aetas imperfecta junior *Corticii sulphurei?* adhuc sub judice lis est. Innascitur passim (e. g. *Moholzer Haide*) truncis lignisque udis humi jacentibus *pineis* et *abietinis*. Praesertim autumno.

1121. H. candida.

α, candida

β, albida

Crescit utraque ubique vulgaris in umbrosis suffocatis: *α*, ad folia vetusta arborum frondosarum — *β*, ad ramos humi jacentes. Per totum annum.

1122. H. umbrina.

A *Rhizomorphâ subcorticali* affatim distat habitu ac ramorum decursu prorsus himantiformi, teneritate, *superficie* villosulâ, *substantiâ* internâ molli concolore. Irrepit lignis exoletis vetustis humi jacentibus, praesertim suffocatis, *pineis* et *abiegnis* passim (e. c. *Monplaisir*; *Moholzer Haide*), sed parum frequens. Vere, autumno.

1123. H. farinacea.

Pertinere hûc *Chordostylum hispidulum Tode* I. p. 39. tab. VII. f. 54. verosimillimum est, etiamsi *globuli seminalis* ab eo indicati nullum umquam viderimus vestigium. Farinâ compactâ albâ (seticulis? *Tode*) junior fungus obtegitur totus: quâ postea in *basi* tantum (plerumque *stellari*) et *apice* residuâ, color e rufo spadiceus in lucem prodit. Sicca ceterum species, filamentosa, ramosa vel simpliciuscula: primo repens, dein assurgens sublibera. Pervulgata ubique in foliis, lignis, ramis dejectis obtectis suffocatis. Perennis.

71. RHIZOMORPHA.

1124. R. subcorticalis.

Rarius subteres: utplurimum valde compressa, interdum latissima, ad unciam et ultra dilatata, rugosa. Efflorescunt ex eâ passim fasciculi barbati e villis albido-carneis: forsitan fungi proles, ramorum novorum primordia — ni heterogenei quid subfuerit. *Medulla* albida villulosa. Vulgatissima sub cortice praesertim *abietino:* perennis.

1125. R. setiformis.

Usnea hippotrichodes Hoffm. E vulgatissimis item, acubus pineis vetustis obtectis ubique adnata. Omni anni tempore.

72. MESENTERICA.

1126. M. lutea.

Subcorticalis praesertim, sub cortice semiputri *abietino* etc. repens offenditur, attamen et in ligno nudo *betulino*, *carpineo*, hinc inde (*Moholzer Ziegelscheune und Haide; hohe Linde; Anstaltsgarten*). Aestate, autumno.

1127. M. grisea NOBIS.

M. tota grisea.

Arbusculam perfectissime effiguratam offerunt *venae* gelatinosae repentes. *Margo* tumidulus *formaque* tota prorsus qualis in praecedente: differt nonnisi *colore* e sordide rufo cinerascente, *locoque natali.* Etenim semel inventa fuit in hymenio *Boleti fusci* vetusti semiputridi (*Moholzer Haide*). Medio Septembri.

1128. M. sanguinolenta NOBIS.

M. latissime expansa lactea, ad tactum intense sanguinolenta.

Hunc quoque fungum eximie memorabilem unà tan-

tum vice reperire contigit, et quidem truncum crassum (*abietinum? Eulenwald*) putrem, inter cujus corticem lignumque latebat, totum paene obducentem, ad spithamas complures expansum. Intactus *colorem* ostendebat ex albo dilutissime glaucescentem: sed ad merum aëris liberum allusum, magis etiam ad digiti pressuram, *cruore* illico crebro inquinatus paullatim fuscescebat. Satis crassus ceterum, gelatinosus, mollis, *formâ* ad congeneres accedebat et *historiâ:* domum videlicet translatus intra dimidium diem ita evanuerat, ut paucos modo floccos siccos fuscos sparsos superstites monstraret. Finiente Septembri.

SUPPLEMENTULUM.

Inseratur post N. 695.
Merulium umbonatum:

1129. M. carbonarius NOBIS.

M. radicatus fasciculatus, pileo subcarnoso striato - squamuloso umbilicato e spadiceo nigro, stipite dilutiore, plicis strictiusculis albis.

Ponenda species notabilis juxta *M. umbonatum*, a quo tamen satis superque differt plicis non dichotomis, nec nisi simpliciter ramosis; umbone prorsus nullo; vulneribus non decolorantibus; crescendi modo locoque etc. E *radicibus* subfusiformibus intus albis ½ — 1uncialibus in corpus unum coalitis *fasciculi* prodeunt capituliformes ex individuis 10 — 20 conflati. *Stipites* adscendunt, subsemunciales, caviusculi, hinc inde lacunulosi,

sursum subincrassati — in quos decurrunt *plicae* ejusdem prorsus indolis, quae est in *M. aurantiaco* et *umbonato*, dichotomiâ exceptâ; margine saepe versus apicem pruinatae sunt. *Pileus* $\frac{1}{2}$ — 1 unciam latus, demum niger. Passim obtegebat carbonaria (*am Badewege*) exeunte Octobri 1804.

Porro post N. 892.
Helvellam Mitram:

1130. H. nigricans.

Stipes varius, nunc totus laevis, nunc satis lacunosus. Fungum diu frustra quaesitum satis frequenter tandem in ambulacris hortensibus (*Monplaisir*) crescentem invenimus sub finem Junii pluviosi 1804.

EMENDANDA.

Pag. 13 lin. 11 loco *seriatisoid alb·* lege *seriatis albido·*
Pag. 60 lin. 18 loco orbatus lege orbatur
Pag. 80 lin. 7 loco faciles lege facile
Pag. 184 lin. 20 loco proprior lege propior

